BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
F
51
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN VIII.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

PISIS MDCCLXXXI.
EXCUDEBAT JOSEPH GIOVANNELLIUS
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

Digitized by Google

FERDINANDO
AUSTRIACO
LEOPOLDI MAGNI ETRURIAE
DUCIS F.

ANGELUS FABRONIUS.

GRatulor Etruriae & ſaeculo, quod omnes in illud conſenſerint elogium, nihil Te, CELSISSIME PRINCEPS REGIE, fieri poſſe amabilius,

nihil humanius, nihil ingenioſius, Teque ad omnem virtutem & bonas artes non modo provehendas, verum etiam excolendas natum factumque videri. Porro vererer, ne mihi verba deeſſent, ſi iſthaec laudandi materies deeſſet. Nam praecipere qualis debeat eſſe Princeps, pulchrum quidem, ſed difficile ac prope ſuperbum: laudare vero optimum Principem, quamvis e pueritia minime exceſſerit, ac per hoc ei ſtimulos addere ad iter, quod glorioſe inſtituit, conficiendum, ceteriſque adoleſcentibus veluti e ſpecula lumen, quod ſequantur, oſtendere, plurimum utilitatis habere poteſt, arrogantiae nihil. Quod vero facile ac benigne annueris hunc qualemcumque librum Tibi inſcribi, mihi ne tributum hono-

rem putem an litteris ? Litteris malo, quod hae patrocinio Tuo dignae videantur, & quod nihil magis earum interſit, quam inveniri ſcriptores, qui hiſtoriae monumentis commendent hominum doctorum praeclara facta, & Principes extare, qui eorum induſtriae gloriaeque ſaveant.

Digitized by Google

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

Benedictus Averanius pag.	8.
Alexander Politus	41.
Eduardus Corſinius	76.
Ramirus Rampinellius	143.
Guido Grandius	186.
Jacobus Philippus Maraldius	295.
Alexius Symmachus Mazochius	330.

Digitized by Google

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS. XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

ANGELUS FABRONIUS

JOANNI BOTTARIO

S. P. D.

Quoniam ingreſſi ſumus litteris mandare Latinis doctorum Italorum facta, juvat, clariſſime Bottari, inſtitutum iter proſequi ea libertate, quae hiſtoricum decet, qui nihil temere narrare, nihil aſtute atque aſſentatorie praeterire debet. At non ſatis eſt conſulere diligentiae ac veritati: ſunt enim quidam ingenio adeo delicati ut ne honeſtam quidem, & quaſi propriam hiſtorici libertatem ferre poſſint; quorum ego faſtidium atque inſulſitatem adeo non moror, ut vel eorum vocibus in ſuſcepto conſilio confirmer. Nam ſi illae valerent quam auctoritatem, aut quam fidem habere poſſent hiſtorica

Digitized by Google

monumenta, quis amplius vereretur hiſtoriam ut humanarum actionum judicem, quis ab ea requireret exempla virtutum, quis ipſam amplius praedicare auderet uti veritatis lucem, magiſtram vitae, omniſque vetuſtatis incorruptam nuntiam? Bene hercle faciunt (atque illorum exemplum nos ſequi gloriamur) qui nulli diligentiae parcunt in inveniendo vero, inventumque ſic exponunt, ut dum veritati unice ſerviunt, ab omni tamen abſint arrogantia atque contumelia. Itaque ii, quos obtrectandi maledicendique libido tenet, quorum hominum genus ne ſummis quidem defuit ſcriptoribus, accuſent me licet ut rudem, ut impolitum, certe ut mendacem, ut adulationis ſordibus infuſcatum, ut injurioſum nunquam accuſabunt. Tantum porro abſumus ab impedienda inelegantis ſcriptoris accuſatione ut ingenue fateri minime dubitemus ſaepe evenire ut cum haec noſtra in manus ſumimus nobis ipſis diſpliceamus. Quam ob rem non ſemel conſilium ſuſcepimus hujuſce operis abjiciendi, noſque ad aliud ſtudium (nunquam enim mens fuit ſocordia atque deſidia bonum otium conterere) transferendi. Sed ab incepto ne deſiſterem fecit non tam amicorum cohortatio, quam publicae utilitatis amor, cum

plurimum interſit ſcire clarorum hominum facta, quibus tanquam ſtimulis laboris & induſtriae utamur ad eadem vel aſſequenda vel ſuperanda. Memoriae proditum eſt Thucydidem collacrimaſſe, cum adoleſcentulus mirabilia praedicari de Herodoto, huncque ipſum hiſtoriam a ſe ſcriptam recitantem audiſſet; tantoque ſtudio atque ardore inflammatum fuiſſe, ut non prius conquieverit, quam majorem aut ſaltem parem in ſcribendo gloriam ſibi comparaverit. Pergam igitur, mi Botari, nudo & ſimplici orationis genere, quale veritatis proprium eſſe ait Euripides, illuſtrium Italorum vitas exponere, & ex faſtis Academiae Piſanae eos nunc potiſſimum ſeligam, qui eloquentiae laude floruerunt. Sunt ii quidem immortalitate digniſſimi, & quod omne ſtudium induſtriamque ad adoleſcentium utilitatem contulerunt, & quod artem excoluerunt, quae ingenii lumen, & omnium rerum regina jure meritoque appellatur. Nihil enim praeſtabilius videtur quam poſſe dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo volumus, unde etiam velimus deducere. Praeter quam quod quid tam proprium hominis, quid tam jucundum cognitu atque auditu, quam ſapientibus ſententiis, gra-

vibus elegantibuſque verbis ornata oratio & perpolita? Scio equidem remoto foro, concionibus, judiciis, ſenatu, vix locum eloquentiae relictum eſſe videri; ſed habet nunc etiam illa ſuos campos, anguſtiores quidem, in quibus triumphare poſſit; quare nulli fere laudis cupidi adoleſcentes non ſibi ad dicendum ſtudio omni enitendum putant. Hi fortaſſe in eo errant quod aut praeceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, ſe id, quod expetunt, conſequi poſſe confidunt. Nam quamvis artem ab eloquentia ſejungere minime debeamus, in eaque multum valeat, maxima tamen vis erit ingenii & naturae ad dicendum; ex quo fit ut vel homines omnis doctrinae expertes interdum ſic eloquentia polleant, ut ad illam non nati, ſed a Deo facti videantur. Requirit enim haec ars celeres quoſdam animi & ingenii motus, qui & ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque ſint uberes, & ad memoriam firmi, quique ſubditis veluti ignibus & efferveſcant per ſe, ceteroſque valeant inflammare. Mitto alia naturae bona, quae ad actionem pertinent, quae adeo in dicendo poteſt, ut non ſine cauſſa huic Demoſthenes & primas, & ſecundas, & tertias

tribuerit. Omnino ea nobis ſingenda eſt eloquentiae imago, quae ſit plena ornamentorum magis natura quam arte quaeſitorum; & cum hujus unius ſit tractare animos omnique ratione permovere, hujus modo perfringere, modo irrepere in ſenſus, hujus inſerere novas opiniones, evellere inſitas, illam quidem ſuſpicient omnes, omnès admirabuntur, pauci ſe aſſequi poſſe confident. Qui nihil poteſt niſi tranquille, nihil niſi leniter, qui omnia partite, definite, diſtincte, callide dicit, omneſque ancipites incertoſque dicendi caſus extimeſcit, qui de omni verbo ſollicitus eſt, nec novit quid interdum etiam poſſit quaedam diligens negligentia, nec maximus, nec magnus unquam erit orator. E philoſophorum ſcholis tales fere evadunt, qui cum mentis acie polleant ad intelligendum, cor tamen non habere videntur, nullaque poſſe animi vehementi affectione commoveri. Non prius conatus ſum, ajebat Cicero, miſericordiam aliis commovere, quam miſericordia ſum ipſe captus, quare ſaepe non modo lacrimulas, ſed multas lacrimas & fletum cum ſingultu videre in auditoribus ſuis ipſe potuit. O ſane ſpectaculum oratori jucundum, cum L. Flacci puerum infantem in manibus tenens, vel cum in alia cauſſa, excitato reo nobili, ſublato etiam filio parvo,

tanto plangore & lamentatione complevit forum, ut orationem abrumpere coactus fuerit! Sed qui haec poſſunt nulla eos ingenii, ſed magna vis animi inflammat, vix ut ſe ipſos teneant. Verum haec vis, quam quaerimus, quanta ſit ſuſpicemur, quoniam exempla ante oculos habere non poſſumus, aut ſi exempla a veteribus ſumimus, meminiſſe debemus carere libros ſpiritu illo, propter quem majora eadem illa cum aguntur, quam cum leguntur videri ſolent. Ad rem haec pertinere puto cum de Averanio ſim dicturus, qui cum conceptam animo & comprehenſam haberet formam perfectae eloquentiae, non ſatis hanc cognoſci & excoli ab Italis ingeniis vehementer dolebat, ejuſque cauſſam cum ageret, non dubitabat offenſionem & invidiam ſuſcipere, cum eos deferendos affirmaret, qui ad nobiliſſimam artem fautricem naturam minime attuliſſent. Utinam vero ipſe, qua fuit mentis acie parem ſuae virtuti campum inveniſſet, & excitaſſet eumdem ad eloquentiam, ut priſcos illos viros, magnitudo, & varietas multitudoque cauſſarum, & illuſtria praemia vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Par enim ſummis oratoribus eſſe potuiſſet. Non me fugit vitio illi verti quod non omnia ſemper expenderet & ſeligeret, uteretur que inter-

dum imprudenter copia argumentorum, atque eruditionis. Nihil enim eſt feracius ingeniis, quae plurimis diſciplinis exculta ſunt, & quemadmodum ſegetes foecundae & uberes non ſolum fruges, verum etiam herbas effundunt inimiciſſimas frugibus, ſic interdum ex illis locis aut levia quaedam, aut rei aliena, aut non utilia gignuntur, quorum ab oratoris judicio delectus magnus eſt adhibendus. Sed ad exponendam ipſius Averanii vitam veniamus, quam ſic leges, ut tuo judicio permulta & addenda, & demenda, & mutanda, & corrigenda a nobis ſint. Quod ſi pictores olim, & ii qui ſigna fabricabantur, quamvis in ſua arte perfecti, ſuum tamen opus a vulgo conſiderari volebant, ut ſi quid reprehenſum eſſet a pluribus, id corrigerent, eo magis nos, qui ne mediocriter quidem docti ſumus, exquirere debemus ab intelligentibus viris quid ipſi ſentiant, qua in re peccavimus, quidque deceat. Non dubito autem, quin te facilem, mi Bottari, praebiturus ſis in accipiendis poſtulatis meis non tam mea, quam Averanii cauſſa, qui te adoleſcentulum ad ſumma quaeque properantem adeo ſuſpexit, adeoque dilexit, ut in te uno conquieſcere videretur. Vale.

Piſis Kal. Decemb. MDCCLXX.

Digitized by Google

Benedictus Averanius.

Tres e Joanne Franciſco Averanio & Margarita Sacchettinia civibus Florentinis nati ſunt filii Benedictus, Joſephus & Nicolaus, qui adeo doctrina & virtute praeſtiterunt, ut ex ipſius Sapientiae ſtirpe generati eſſe viderentur. Horum natu maximus Benedictus, de quo nunc ſcribendum ſuſcepimus, poſtquam Joſephi vitam ſuperiori in volumine explicavimus, lucem aſpexit Florentiae an. reparatae ſalutis MDCXLV. XIV. Kal. Sextiles. Multa is vel a prima pueritia indicia praebuit probitatis & ingenii, diſcendique amor ipſi cum aetate creſcebat. Nemo illum vidiſſet in eo aetatis flore niſi aut cum caſtiſſimis parentibus, aut cum libris verſantem, videbaturque horrere omnia oblectamenta puerorum. In rhetorica praeceptorem habuit Vincentium Glaream e S. J. hominem, ut illis temporibus, ſatis Latinis litteris doctum; ſed brevi eo pervenit, ut ſine cortice in hac mitiorum litterarum aquula nare poſſet, & ipſe ſibi conſulere. In quo

Digitized by Google

quidem tanta felicitate uſus eſt, ut non ſolum aequalium nemo ei par poneretur, ſed vel ipſe Praeceptor ab illo ſe fuiſſe ſuperatum ingenue profiteretur. Nec quidquam Benedictus habuit antiquius quam ut optimos ſcriptores tum Italicos tum Latinos nunquam de manibus deponeret; quodque initio non mediocre tempus conſumpſerat in poetis praeſertim epicis evolvendis, totum jam ſe dandum Ciceronis & Hiſtoricorum lectioni exiſtimavit. A rhetorum ſpatiis ad philoſophorum campos traductus adiit ſtatim fontes illos, unde univerſum ſapientiae flumen erumpit; nec quidquam erat retruſum adeo atque abditum in Platonis & Ariſtotelis, eorumque interpretum & ſectatorum libris, quo ipſe, ſuo acerrimo ingenio duce, non penetraret. Platonem praeſertim ſequebatur, quod longe omnibus ingenio & doctrinae copia illum praeſtare dicebat; quapropter minime eſſe mirandum omnes eos, qui in aliqua diſciplina principatum tenuiſſent, quorum in numero Ciceronem, Virgilium, & S. Auguſtinum ponebat, Platonicos fuiſſe. Eadem mentis acie, qua rerum omnium vim, naturam cauſſaſque

videre ſatagebat Benedictus in philoſophorum ſcriptis, illa quoque aſpiciebat quae ad eloquentiam, cujus incredibili quodam ſtudio flagrabat, quoquo modo pertinebant. Saepe enim memoria repetebat illa Ciceronis: *fateor me oratorem, ſi modo ſim, aut etiam quicumque ſim, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatiis extitiſſe: illa enim ſunt curricula multiplicium variorumque ſermonum, in quibus Platonis primum impreſſa ſunt veſtigia; ſed & hujus & aliorum philoſophorum diſputationibus & exagitatus maxime Orator eſt & adjutus: omnis enim ubertas, & quaſi ſilva dicendi ducta ab illis eſt*. In his occupationibus Benedictus renovabat interdum exercitationes poeticas, & quod finitima eloquentiae poeſis eſt, illamque non parum adjuvat, quodque ad hanc factus a natura eſſet. Compoſuit autem, ut patri obſequeretur, Latinum poema de S. Thomae Aquinatis laudibus, in quo omnes admirabantur adoleſcentuli ſingulare ingenium, qui cum ne primoribus quidem labris rerum divinarum ſcientiam attigiſſet, de Trinitatis myſterio ita diſtincte, eleganter & illuminate verſibus dixiſſet, ut fortaſſe melius a ſummo

theologo, ſolutaque oratione id fieri minime potuiſſet. Periit autem hoc poema cum multis aliis Auctoris carminibus, quod ea negligentiſſime (non enim is erat, ut ſua eum maxime delectarent) aſſervabat. Ceterum quae ſunt in manibus hominum Benedicti carmina, quorum pleraque in pueritia condidit, ſatis oſtendunt potuiſſe illum ad ſummi poetae laudem pervenire, ſi omiſſis gravioribus ſtudiis huic arti ſedulam operam navare voluiſſet. Sunt enim lita ingenii luminibus, & naturali venuſtate atque lepore condita. Sed praeſertim in elegia excelluit, in qua Tibullum ſibi ad imitandum propoſuit. His ille rebus inſtructus a patre miſſus eſt ad Academiam Piſanam ea mente, ut ibi juris prudentiae unice ſtuderet. *Quoniam vero*, ut ait ille, *minime interdictum eſt aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut ſingulis hominibus ne amplius quam ſingulas artes noſſe liceat*, ita Averanius, poſtquam diligentiſſime ſatisfeciſſet juris praeceptoribus, alias facultates ſibi aſſumebat, in quibus induſtriam ſuam collocaret. Veterum philoſophia minime contentus curioſe inveſtigabat quidquid recentiores phi-

loſophi inveniſſent, cum prius geometriae ſubſidium ipſe ſibi comparaſſet. Plurimum quoque ſe exercuit in mechanica & aſtronomia, aliaſque attigit diſciplinas, quas conducere putavit ad dicendi facultatem, quae niſi aſperſa atque diſtincta ſit multarum doctrinarum jucunda varietate, vix eloquentiae nomen meretur. Graecam vero linguam, Graecaſque litteras avide arripuit, quaſi ardentem ſitim explere optaſſet. Multi etiam ſudoris erant quotidianae ſcriptiones ad acuendum ſtilum, qui vere perfector dicendi & magiſter appellatur. Nec Latine ſolum, ſed etiam Graece ſcribebat, cum convertiſſet in Graecum Saluſtium, & Celſum, aliaque Latina. Extant & ejus Graecae elegiae, quarum una, quae laudes celebrat formoſae cujuſdam puellae, cum in manus perveniſſet hominis Galli, qui ſane teretes aures habebat intelligenſque judicium, ab antiquo poeta ipſam ſcriptam judicavit. Ut vero Averanii eſſe audivit, mirari non ceſſabat hunc poſſe tantum in Graeca poeſi, eumdemque tanta negligentia eſſe in adnotandis, ut vocant, ſpiritibus & accentibus, aliiſque orthographiae legibus obſervandis, quaſi haec

nullius eſſent momenti. Is quidem erat Averanius, ut hujuſmodi quaeſitores vituperaret, & in eo quodammodo gloriari videretur, ſe, dum grandia ſpectaret unice, minuta contemnere. Quidquid eidem vacabat temporis ab academicis ſtudiis ſolitus erat in patria conſumere, ubi ne otium quidem illi erat otioſum. Creatus Princeps Academiae *Apathiſtarum* veniebat in illam frequens: ſolebat vero ex inſtituto ejuſdem Academiae ea ponere in percunctando, tantaque eruditionis copia quaeſita ab aliis tractare, ut nihil ei eſſe novum, nihil non cognitum videretur. Quae cum audiſſet communi fama atque ſermone Leopoldus Mediceus Cardinalis, cui nihil tam cordi erat quam favere litteris, & laudi honorique Academiae Piſanae patrocinio ſuo commendatae, affirmavit Benedicto ſi pergeret porro tenere illam viam, quam inſtituerat, ſe ei munus delaturum docendi humaniores litteras in eadem Academia. Qua ſpe erectus, decoratuſque jam laurea ceteriſque doctrinae inſignibus, totum ſe in eaſdem litteras abdidit. At priuſquam Leopoldus datam fidem liberaret, e vivis exceſſit; cui cum

eſſent juſta perſolvenda in Florentina Baſilica S. Laurentii, Benedictus mandatum accepit componendi Latina epigrammata (fecerat hoc idem paullo ante in exequiis Claudiae Auguſtae) quae appendi debebant in eadem Baſilica ad mortui laudem atque memoriam. Plauſiſſe homines his epigrammatibus ex eo conjici poteſt, quod renovata poſtea hujuſmodi mandata fuerunt in funeribus Victoriae Roboreae Magni Ducis Ferdinandi conjugis, & Leopoldi Caeſaris. Cum Leopoldi Cardinalis vita omnes ſpes ſuas extinctas putabat Benedictus; ſed illas brevi reviviſcere vidit, quod ejus doctrina Coſmo III. Magno Duci ſatis cognita erat. Nam omnes mirabiliter de illo & ſentiebant & loquebantur. Itaque anno MDCLXXVI. munus longo tempore vacuum tradendi in Piſano Lyceo Graecas litteras illi aſſignatum fuit, quod auſpicatus eſt a ſplendida ſane & magnifica oratione, qua probavit Graecas litteras magno eſſe ad omnem ſapientiam comparandam adjumento. Cum inflammati jam eſſent eloquentiſſimis Averanii vocibus plures adoleſcentes ad eas diſcendas litteras, ex quibus omnis humanitas,

omniſque doctrina profluxit, illi ſe ſe informandos dederunt. Domi is tradebat elementa Graecae linguae, Graecoſque ſcriptores ita interpretabatur, ut ſingulorum verborum vim, naturam, originem explicare, & verbum pro verbo reddere curaret. In ſcholae autem luce magno opere ſibi enitendum putabat, ut omnem exemplorum copiam, omnemque antiquitatis memoriam auditorum oculis ornate eleganterque ſubjiceret. Ad quam rem obtinendam Anthologiam illuſtrandam ſuſcepit, quod, cum haec multa millia epigrammatum elegantiſſimorum contineat, ſperabat inde poſſe decerpere non flores modo, ſed & fructus uberrimos multiplicis eruditionis. Conſumpſit in Anthologia Diſſertationes ſex ſupra octoginta, quas memoriter dicere ſolebat. Ad Thucydidem & Euripidem deinde ſe convertit, quibus totidem fere conceſſit Diſſertationes, in quibus omnibus ineſt quidem ſilva atque infinita propemodum materies eruditionis, ſed ea ſaepe confuſa ſeque nimium profundens. Si acri, quo pollebat judicio, uti voluiſſet Averanius, fortaſſe in his ceteriſque illius Diſſertationibus haberemus aut plures

auctorum locos caſtigatos ſuppletoſque, aut celebriores tum hiſtoricas, tum chronologicas controverſias diremptas, aut rariores inſcriptiones atque numiſmata explicata, aut nonnulla, quae antea jacebant in antiquitatis tenebris, ad lucem revocata. Sed haec ille viſus eſt neglexiſſe, ſatis gloriae putans ſe poſſe colligere, ſi memoriae ſuae, in qua quidquid legebat firmiſſime haerebat, immenſos theſauros reſeraſſet. Et quidem ejus ſchola floruit ſemper ſtudioſorum adoleſcentium celebritate; nec deerant quoque docti viri, & in his Henricus Noriſius, qui illam frequentarent. Habebat etiam Benedictus domeſticos convictores Joſephum & Nicolaum fratres ſuos cariſſimos, quos erudiret non in litteris ſolum Graecis, ſed & in geometria, aliiſque reconditioribus facultatibus. Quam longe ii proceſſerint in omni pene libero homine digna doctrina, intelligi poteſt ex oratione, quam Benedictus habuit, dum eos juriſconſultorum ornamentis inſigniret. In multis ſcholae occupationibus ſatis tamen Benedictus reperiebat temporis (nemo enim & ſtudio acriore, & labore & induſtria ſuperiore quam ille fuit) quod

quod operi prorſus magno & arduo concederet. Noverat eam eſſe Almageſti obſcuritatem, ut ab eo legendo omnes fere rejicerentur: quare ne hujus libri utilitas aſtronomiae ſtudioſis deeſſet, transferre in Latinum aggreſſus eſt non tam illum, quod minus recte factum fuerat a Trapezuntio propter aſtronomiae inſcitiam, quam Theonis in illum ipſum luculentiſſimos commentarios. Ad hanc autem Theonis interpretationem conficiendam mirificum ei uſum afferebat ſingularis prorſus illius ſcriptoris codex, qui in bibliotheca Laurentiana aſſervatur. Etenim illius ope non ſolum corrigi poterant plurima menda, quae in editos libros irrepſerant, ſed etiam multa, quae deerant, ſuppleri, cum idem codex habeat tertium Theonis librum a quodam Nicolao Cabaſilla, & quintum & ſextum a Pappo Alexandrino additos. In hoc labore cum dies ac noctes ſe exerceret, idque aeſtivis praeſertim temporibus, quibus Florentiae eſſe ſolebat, audiit a Vincentio Viviano ſe quondam dono accepiſſe a Leopoldo Cardinali eoſdem Theonis commentarios Latinos factos a quodam Theophilo Urbinate, hoſque ami-

co in Galliam redeunti ea lege dediſſe, ut typis committeret. Queſtus eſt graviter Benedictus, & quidem jure, haec antea ſibi occultaſſe Vivianium; & ne actum ageret, quod vetamur veteri proverbio, ab incepto opere deſtitit. Verum ſi paſſus fuiſſet apud ſe valere voces Joſephi fratris, perrexiſſet quidem conficere iter reliquum; ſicque minime doleremus utraque nos carere interpretatione, cum Gallus ille datam amico fidem edendi Theophilianam interpretationem nunquam ſolverit. Sexennium tradiderat Averanius Graecas litteras, probata omnibus, maximeque Feranti Capponio Academiae Piſanae Curatori doctrina induſtriaque ſua, cum ad altiorem gradum aſcendit doctoris humaniorum litterarum. Audacter ingreſſus eſt ad hoc munus, quod ſuccedebat Jacobo Gronovio homini multis ſane litteris praedito, ſed in eloquentia & in Latine ſcribendi elegantia parum exercitato, ac pene rudi; qui cum non minus moribus, quam oratione durus & aſper eſſet, tantum in ſe odium collegarum concitavit, ut Academia cedere, poſtquam illi non integrum annum operam ſuam praeſtitiſſet, coactus fue-

rit. Sed ad Benedictum revertor, cui glorioſiſſimum erat, quod ejus ſchola & domus tanquam officina eloquentiae, omniſque politioris humanitatis celebrarentur. Certe quidem nemo Academicorum iis temporibus ſcribendi barbariem, quae paſſim & foede dominabatur, exuit, nemo manſuetiores muſas amplexus eſt, qui hoc, Averanio auctore, hortatore & adjutore, non fecerit. Principio illuſtrandum ſuſcepit T. Livium, mox Virgilium, ac denique libros Ciceronis de Oratore. In Livium unam & triginta, in Virgilium quadraginta quinque, in Ciceronem duas ſupra nonaginta Diſſertationes reliquit, quae omnes ſunt in manibus hominum. Quoniam vero annotare praetermiſerat aut auctores, aut horum locos, quibus non modo ornaverat, ſed & referſerat eaſdem Diſſertationes, Antonius Maria Salvinius, Nicolaus Averanius, & praeter ceteros Joannes Bottarius hanc rem incredibili labore perfecerunt. Nec mediocrem in eo afferebat Benedictus utilitatem diſcipulis ſuis, quod ad confirmandos illorum animos ne a Latinis unquam Graeca ſejungerent, ſolitus erat ſic comparare inter

ſe Homerum & Virgilium, Demoſthenem & Ciceronem, Thucydidem & Salluſtium, Herodotum & Livium, Xenophontem & Caeſarem, ut ſingulorum virtutes non enumeraret modo, ſed prope in conſpectu poneret. Quotannis etiam ex inſtituto Academiae in ſolemni ſtudiorum inſtauratione Latinam habebat orationem ad acuendam Academicorum induſtriam, accendendumque magis illorum amorem in liberales diſciplinas. Harum orationum triginta extant, in quibus ſunt profecto verborum & ſententiarum lumina, mirabilis exemplorum omniumque rerum copia, dicendique genus fuſum, nitidum & ſanum. Omnino tria illa, quae efficere debet orator, ut doceat, ut delectet, ut moveat, conſecutus eſſe videtur Benedictus. Si is vero cuipiam nimis redundans, &, ut de illo dicere ſolebat Alexander Politus, pampinoſus interdum videbitur, circumcidat hic & amputet quantum libet; illud tamen tenebo non omnes modo illius aetatis, ſed pleroſque etiam ſuperioris, qui Latinae eloquentiae gloria floruerunt, Benedictum ſuperaſſe. In vita Joſephi Averanii judicium graviſſimum protulimus Jo. Vincentii Gravinae,

qui M. Antonio Mureto Benedictum praeferre non dubitabat. Quam laudem ſibi quoque Benedictus tribuebat, minime extimeſcens in veritate crimen arrogantiae. Ex omnibus ejuſdem orationibus duae illae omnium optimae nobis videntur, quae ſunt de laudibus Mediceorum Principum, & de victoriis Chriſtianorum. Quam poſtremam ſi quis conferet cum Muretiana illa omnium nobiliſſima, quae in ſimili verſatur argumento, facile apparebit quantum Mureto Averanius antiſtet rerum copia, ſententiarum varietate, & magnifico quodam & ſplendido eloquentiae genere, aliiſque oratoriis ornamentis, non tamen ordine & perpetuo dicendi lepore & venuſtate, in quibus virtutibus profecto malim me Mureto, quam Averanio ſimilem eſſe. Nec minus quam polleret Averanius eloquentia ex ceteris illius orationibus perſpici poteſt. Quam ſingularia illa de Livio in ſecunda oratione! Quam magnifica illa, quibus in fortunae inconſtantiam alibi invehitur! Sed non eſt neceſſe illuſtriores Averanii orationum locos ſingillatim commemorare, cum in univerſum omnia in iis ſplendeant eloquentiae luminibus. Haud ſcio an

idem Italicam eloquentiam unquam tractaverit, in qua non ſecus ac in Latina excellens eſſe potuiſſet. Optime enim Italice ſcribebat, ut indicant plures editae jam illius *Lectiones* (libet uſitato vocabulo uti) quas recitavit tum in Academia Etruſci ſermonis cuſtode & moderatrice, tum in illa, quae *Apathiſtarum* nominatur; quanquam in his ſcriptionibus non multum ille elaboravit. Nihil enim aliud afferre voluiſſe videtur niſi elegans & aequabile orationis genus, & ornamenta multorum ſapienter dictorum factorumque ex antiquitatis monumentis conquiſita. Eſt quidem haec res praeclara, ſi modo & ordine fiat, quod interdum in Averanio deſiderari poſſe videtur. Idem in adoleſcentia Italicam excoluit poeſim, dignuſque exiſtimatus eſt a Mario Creſcimbenio, qui inter illius reſtitutores (vix enim eſſe potuit poeſis in tanta ſuperioris ſaeculi barbarie) adnumeraretur. Plura Averanii Italica carmina Romae aſſervantur in tabulario Arcadum, quorum invitatu eadem condidit. Nam illorum Academiae vel a prima hujus origine Corilaei Naſſii nomine adſcriptus fuerat. Ex iis autem carminibus unum

elegit Creſcimbenius, retulitque in III. volumen ſuorum *Commentariorum de Italicae Poeſis hiſtoria*, ut eſſet indicium ceterorum & exemplum ad imitandum. Profecto nunquam ſatis laudari poſſunt ſapientes illi viri, qui poeſim, ut caſtam virginem, ab impudentium procorum impetu liberandam ſuſceperunt: ſed plerique eorum dum illam nimis verecundantem, nimis paventem eſſe voluerunt, tenuem fortaſſe & inopem effecere. Haec, quae retulimus, Averanii opera famam ei conciliarunt litteratiſſimi viri, ut vere de illo praedicatum eſſe videatur ab Auctore *Bibliothceae Italicae* (*) ipſum inter ornamenta & lumina ſaeculi XVII. adnumerandum, omninoque fuiſſe eruditionis theſaurum: quae vero de ejuſdem moribus proferemus, ſic ei omnium benevolentiam conciliarunt, ut principibus & infimis, ſenibus adoleſcentibuſque aeque eſſet cariſſimus. Fuit ille vir, ſi quis unquam alius, religioſus, integer, fide ſumma, & conſtantia prope ſingulari; in eoque nihil erat niſi ſimplex, ſincerum & apertum. Hoc eſſe ſapientis maxime

B 4

(*) Vol. VIII. pag 133.

proprium dicebat, ſe gerere ſimpliciter, fideliter, ſocietatique hominum amice. Nec in moribus ſolum ſimplicitatem amavit, ſed etiam in victu cultuque uſque eo ut munditiam negligeret. Delectabatur amicitiis doctorum praeſertim hominum, iiſque magis quam ſibi ſervire videbatur. Ad eaſdem vero conciliandas plurimum poterat opinio probitatis, prudentiae & doctrinae, quam apud omnes vel in malevola & invida civitate habebat. Extant nonnullae ejus familiares epiſtolae Latine ſcriptae, ex quibus ejuſdem benignitas & comitas perlucet, minime vero feſtivum quoddam & dulce ſcribendi genus. Si forte res non ſuppetebat qua opis ſuae indigenti ſubveniret, benefica ſaltem voluntate illum demereri ſtudebat. Tanta naturae bonitas, qua Benedictus praeditus erat, horrere illum cogebat vel minimum ingrati animi crimen, habebatque ſaepe in ore illud P. Syri:

Dixeris maledicta cuncta ingratum cum hominem dixeris.

Congreſſus, ſocietatemque amicorum, qua una re feſſum animum ſtudiis relaxare videbatur,

cupide requirebat, feminarum vero cane pejus & angue fugiebat. Tantum tribuebat amicitiae Benedictus, ut ſaepe quereretur illam poſthaberi propinquitati: malle ſe facultates ſuas optimis & benemeritis amicis relinquere, quam non probis & immerentibus propinquis. Summa gravitas conjungebatur ab eo cum ſingulari comitate, ejuſque ſermo, quamvis rarus, concinnus tamen & feſtivus erat, ac ſaepe etiam urbanis ſalibus aſperſus. Omnino non audiendos illos eſſe dicebat, qui virtutem duram, rigidamque, & quaſi ferream eſſe volunt: quapropter quod ipſe ſibi non conceſſiſſet, aliis facile indulgebat. Proclivis ad iram in diſputando (& frequentes quidem erant iis temporibus in Academia Piſana plenae concertationum diſputationes) facile excandeſcebat. Sed ubi primus ille impetus deferbuiſſet, placide ſedateque colloquebatur. Patriae & Academiae Piſanae amans adeo fuit, ut ne ampliſſimis quidem propoſitis praemiis, maximaque ſpe, divelli ab iis potuerit. Nam mortuo an. MDCLXXXII. Octavio Ferrario, Academiae Patavinae Moderatores ad profitendas in hac humanas litteras illum invita-

runt, idque ipſum praeſtitit etiam non multo poſt Summus Pontifex Innocentius XI., cupiens tantum virum Archigymnaſio Romano adjungere. Abſuit ſemper ab oſtentatione glorioſa; neque hoc mediocre modeſti animi ſignum fuit, quod vix diuturnis & quotidianis amicorum expoſtulationibus adduci potuit ad edendum (effecit hoc an. MDCLXXXVIII.) primum ſuarum orationum librum; quodque editum exteris nationibus ad eloquentiae ſuae famam propagandam deferri minime curavit. Profecto ſi gloriae ſtimulus acriter illum pupugiſſet, praeclara multa, quae latuerunt in theſauris ſuis, excudere potuiſſet. Quis enim illo in veterum Scriptorum lectione exercitatior, quis ingenio, memoria & induſtria ſuperior? Nihil illi erat incognitum, quod in litteris Graecis & Latinis eſſet incluſum; Platonem, Ciceronem, & Livium ſaepius legerat; Virgilium & Tibullum omnino, alios vero Latinos poetas magna ex parte memoria tenebat; in rebus divinis, in communi civium, hominum, & gentium jure, in omni re, quae ad geometriam pertineret, in aſtronomia, in recentiori philoſophia, aliiſque reconditis

in doctrinis erat verſatus. Erat & intelligens exiſtimator picturae, architecturae, & ſculpturae, aliarumque minorum artium. Adeo vero induſtrius, ut ab opere ceſſare non poſſe videretur, ſuoque exemplo confirmaret praeclarum illud Ariſtotelis dictum; *hominem ad duas res, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalem Deum*. Cum autem & legeret & meditaretur, adeo animum defigebat atque intendebat, ut non modo rerum, quae extra ſe eſſent, ſed ſui ipſius oblivиſceretur. Accidit aliquando, ut, cum adeſſet ſacro cuidam Oratori non multum quidem & eloquentia & rerum delectu auditores attentos facienti, coeperit elata voce Homericos verſus recitare cum omnium riſu, ſuique ipſius maximo rubore. Ne in infirma quidem valetudine ſibi temperabat a libris; qua de re cum ſaepe a medicis reprehenſus fuiſſet, reſpondere ſolebat, ſe minus animum defatigare lectione, quam meditatione, a qua otioſus & ſolus, tantum conſuetudo valet, ſe abſtinere non poterat. Ex vehementiſſima & continua animi contentione graviſſimae ortae ſunt capitis offenſiones. Vere an. MDCCVII. rheumatiſmus non

ſolum caput, ſed & pectus miſere oppreſſit; ex eoque tempore Benedictus nunquam priſtinas vires & colorem recuperavit, ut omen impendentis mortis videretur. Sed hujus calamitatis praenuntia maxime fuit apoplexis, quae illum XVIII. Kal. Septembris, dum rebus divinis in templo intererat, invaſit. Multa ſunt adhibita remedia, ut convaleſceret; ſed medicina imbecillior fuit quam morbus. Nihilo tamen minus exeunte Octobre Piſas concedere voluit, quo non multo poſt quam venerat, tuſſis levem febriculam excitavit, & rheumatiſmus magis magiſque pectus oppreſſit. Breve vitae reliquum totum ferme in Chriſtianae religionis officiis obeundis conſumpſit; cumque interrogatus fuiſſet quid de bonis ſcriptiſque ſuis fieri vellet, caduca haec ſe prorſus negligere, immortalia vero unice curare reſpondit. Mors, quam V. Kal. Jan. ſub ſolis occaſum obivit, fuit pacata, tranquilla, nullo comitata dolore mentiſque defectu, & placido ſimillima ſomno. Morti proximus auditus fuit identidem iterare verba illa ſolemnia: ἅγιος ὁ θεὸς: ἅγιος ἰσχυρὸς: ἅγιος ἀθάνατος, quae cum non intelligeret, qui ei ade-

rat Sacerdos Graecae linguae ignarus, illum delirare putavit. Nihil non factum, ut mortuo honores haberentur, qui eſſent teſtimonium illius virtutis & doctrinae, doloriſque quem omnes, & Academia praeſertim Piſana, ex ejus interitu ſuſceperunt. Pompa exequiarum, quae celebratae fuerunt in S. Fridiani, fuit illuſtris & ſplendida; hancque non parum auxit nobilis ſane oratio, quam de mortui laudibus habuit Laurentius Giannius decus & ornamentum Florentinae juventutis. Cadaver tumulatum fuit in magnificentiſſimo Piſano ſepulcreto, quod *Campum Sanctum* vocant, in monumento familiae Pontaderiae, non concedente ſolum, ſed etiam invitante Equite Vincentio Aulla, ad quem illud hereditate pervenerat. Hic Averanii etiam imaginem ex marmore, opus inſignis ſculptoris Joſephi Piamontinii, prope idem monumentum collocavit cum hoc elogio.

D. O. M.

BENEDICTO AVERANIO FLORENTINO INGENII DOCTRINAE ELOQUENTIAE PRINCIPI . QUI MAGNARUM RERUM ATQUE ARTIUM NIHIL IGNORAVIT NIHIL AB ALIIS DIDICIT. NULLO DOCTORE DOCTRINIS OMNIBUS INSTRUCTISSIMUS . IN PATRIA GRAECAS LITTERAS ADOLESCENTULUS AB INTERITU VINDICAVIT . LATINI SERMONIS INTEGRITATEM ET ROMANAE ELOQUENTIAE MAJESTATEM RESTITUIT. ETRUSCAE LINGUAE SPLENDOREM AC DECUS ATTULIT. IN GEOMETRIA ASTRONOMIA ET OMNIUM ARTIUM OPTIMARUM SCIENTIA PLANE PERFECTUS. CUNCTIS PHILOSOPHORUM DISCIPLINIS ERUDITUS IN ALTISSIMAM PLATONIS DOCTRINAM PROFUNDA MENTE SE INGURGITAVIT. DIVINI PHILOSOPHI SAPIENTIAM NON TAM INTELLIGENDI QUAM BENE VIVENDI DISCIPLINA ET EXCELLENTIA VIRTUTIS EXPRESSIT. GRAECAS LATINASQUE LITTERAS XXX. ET AMPLIUS ANNOS PROFESSUS SUMMUS ORATOR POETA SUMMUS PISANAM ACADEMIAM INGENII LUCE ET NOMINIS CELEBRITATE NOBILITAVIT ELOQUENTISSIMIS ORATIONIBUS DOCTISSIMIS PRAELECTIONIBUS QUIBUS THUCYDIDEM EURIPIDEM ANTHOLOGIAM VIRGILIUM CICERONEM LIVIUM ILLUSTRAVIT EJUS DIGNITATEM ET GLORIAM AMPLIFICAVIT. EQUES VINCENTIUS AULLA PRAECEPTORI OPTI-

MO ET AMICO INCOMPARABILI QUEM EXCEPIT HEREDITARIO SEPULCRO MOESTISSIMUS POSUIT. OBIIT V. KALD. JANUAR. ANNO SAL. MDCCVII. AETAT. LXIII.

Nec minus ſtuduit Romanus Arcadum coetus carminibus, vita, aliiſque monumentis Averanii nomen decorare; & Florentina Academia Furfureorum ne in honorando tanto viro exteris eſſet inferior, tum carminibus, tum eloquentiſſima oratione habita ab Antonio Maria Salvinio, qui debere maxime Averanii praeceptis ſuam in Graecis, Latiniſque litteris praeſtantiam gloriabatur, defuncti laudes publice celebravit, ejuſdemque pictam effigiem inter illas clariſſimorum Academicorum collocavit. Donatus etiam fuit Averanius honore numiſmatis; juſſuque Ferdinandi Etruriae Principis ejus imago condita in Pinacotheca Medicea; quae quidem bene & ſapienter inſtituta ſunt non ſolum ad renovandam doctorum hominum, qui e vita exceſſerunt memoriam, ſed etiam ad excitandam ſpe gloriae eorum, qui ſuperſunt, induſtriam.

OPERA EDITA.

Benedičti Averanii Florentini Diſſertationes habitae in Piſana Academia, in quibus Graecae, Latinaeque eloquentiae principes explicantur & illuſtrantur, Anthologia, Thucydides, Euripides, Livius, Virgilius, Cicero. Opus poſthumum Graeca Latinaque omnis generis eruditione, doctrinaque refertiſſimum. Acceſſerunt ejuſdem orationes & carmina omnia iterum edita, nec non epiſtolae, quae nunc primum in lucem prodeunt. Florentiae typis R. C. apud Jacobum de Guiduccis & Sanctem Franchi 1716. & 1727. *Tom. III. in fol. Pleraſque Orationum, quae III. in volumine continentur, ediderat Benedictus an. 1688. in. 4.* Florentiae apud Petrum Matini, *reliquas vero cum carminibus nonnullis ejuſdem Benedicti edidit Joſeph Averanius illius frater Florentiae an. 1709. in 4.*

Dieci Lezioni compoſte ſopra il IV. Sonetto della I. Parte del Canzoniere del Petrarca, e recitate nell' Accademia della Cruſca dal Dott. Benedetto Averani Fiorentino &c. In Ravenna per Antonio Maria Landi ec. 1707. in 4.

Lezioni XI. dette nell' Accademia degli Apatiſti. *Extant* nella Raccolta di Proſe Fiorentine Parte II. Vol. III. & IV. Firenze 1728. e 1729.

Sonetto. *Extat in Volum. III.* de' Commentarj del Can. Gio. Mario Creſcimbeni Cuſtode d' Arcadia intorno alla ſua Iſtoria della volgar Poeſia ec. Roma 1711. in 4.

Inſcriptiones Latinae variae. *Tales ſunt quae appoſitae viſuntur Piſanis thermis, ſepulcro* Vincentii *a Filicaja, & imagini Guidonis Grandii, quae ornat illius opus* de infinitis infinitorum.

ANGELUS FABRONIUS

LEOPOLDO GUADAGNIO

S. P. D.

Induxi te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

Si vero accuſator alius exiſtet, qui me dignum reprehenſione judicet, quod in Polito non omnia laudaverim, ſciat mihi propoſitum eſſe vitam & mores hominum oſtendere, minime vero alienos affectus mea in ſcripta transferre. Verum, inquies, tanti non eſt ingenium tuum, ut audeas naſute doctorum hominum facta diſtringere. Quid tibi videtur? Nonne bellum eſt & ſua & aliena vitia noſſe; & ſi quid in te aliiſque reprehenderis ita ad veritatem loqui, ut nulla calliditate, ſolertia, invidia atque odio te adductum id feciſſe homines ſentiant? Quaeſo numquemquam improbo dente unquam appetivi? Non vereor ne quid mihi excidat ſummis viris injurioſum, cum ingenio meo nihil ſit tam alienum

quam acerbitas atque calumnia. Ceterum ii, qui neſas eſſe putant verbum proferre quod non jucundum & honorificum ad aures eorum accedat, qui vinculis aut familiae, aut amicitiae, aut cognationis, conjungebantur cum iis, de quibus ſcribendum ſuſcepiſti, minime audiendi ſunt, quin immo contemnendi ut homines adulationis ſordibus infuſcati; & ii qui omnia referunt ad decus & ornamentum propriae familiae, eique ſtudent unice (vides jam me de religioſis familiis loqui) ſi homines alienae reprehenderis, non modo te excuſabunt, ſed multis etiam extollent laudibus, quod veritatem fortiter retinueris, quamvis ex ea odium naſci debuerit. Atque id ipſum ſaepiſſime in me experiri potui, ut nihil nunc minus velim quam conſulere ſenſus hominum, qui alicujus partis ſtudio ducuntur. Ex his unus cum Poſonii anno MDCCLXXIV. ederet Politi orationes, hiſque praemittendum duxiſſet commentariolum de ejus vita a me exaratum, ex eo omnia illa dempſit, quae minus favere ejuſdem oratoris laudi videbantur, ſic ut non pauca in eo offendas, quae male inter ſe apta: colligata que appareant. Tua etiam auctoritate nobis opus fuit, doctiſſime Guadagni, ad coercendas voces illorum, qui me non ſatis laudaſſe Politi

eloquentiam dictitabant, quaſi quidquid ille protulit perfectum expletumque eſſet omnibus ſuis numeris & partibus. Ea quidem tribui viro & ingenio peracri, & eruditione eximia, & memoria ſingulari, ut etiam eloquentia eumdem praeſtitiſſe judicaverim. Artem porro noverat faciendae atque ornandae orationis, & cum diſtincte, explicate, abundanter, illuminate & rebus & verbis diceret, adhuc magno in pretio eſſe videntur illius Latinae orationes. Quamvis ei eſſet perſuaſum praecipua illa eſſe, & tanquam animi inſtar in corpore, invenire & judicare, neminemque in oratorum numero habendum, qui non eſſet omnibus iis ferme artibus, quae ſunt libero dignae, perpolitus; & ſenſus praeſertim animorum atque motus vel inflammari vel etiam extingui non poſſe ſine diligentiſſima perveſtigatione earum rerum, quae a philoſophis traduntur, plurimum tamen ſtudii in verbis eligendis diſponendiſque ponendum arbitrabatur, & quae de elocutione oratoria tradebat diſcipulis ſuis, non erant ſumpta de medio, ſed ex interiori aliquo genere litterarum quaeſita. Dictionem a ſtilo diſtinguebat, & cum illam emendatam & perſpicuam eſſe debere praeciperet, ea ſtilo tribuebat, ob quae proprie

in verbis, cum dignitate, apta compoſitione, numero & modo & politiori elegantia nos eloqui dicimur. Duplex eſt ornatus verborum, unus ſimplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in propriis uſitatiſque verbis, quod aut optime ſonant, aut rem maxime explanant, in alienis aut translata, aut facta aliunde ut mutuo. Qui ſermone puro utitur, & dilucide dicit, & quid deceat circumſpicit, neque in faciendis verbis eſt audax, & in transferendis verecundus, ſtudetque ne quid in circuitu & conglutinatione verborum ſit contortum, humile, demiſſum, & illud grave, amplum, copioſum, & pro rei natura ornatum dicendi genus, in quo profecto maxima ſemper vis fuit, perſequitur, is ad eloquentiae laudem poterit aſpirare. Delectat nunc maxime a Gallis praeſertim uſitatum quoddam orationis genus, in quo multae ſunt translationes, antitheſes, multa veluti fucati medicamenta candoris & ruboris; & cum in omni genere amplificationis exardeſcat orator, is furere apud ſanos, & quaſi inter ſobrios bacchari vinolentus videtur: acutae crebraeque ſententiae ponuntur, & ſaepe neſcias unde ex abdito erutae; ſingulo quoque momento ab inferis mortui excitantur; populi, provinciae, reſpubli-

cae loquentes inducuntur; & cum hujuſmodi oratorum ſententia omnes orationis partes luminoſae & quaſi actuoſae eſſe debeant, declarant quidem minime comprehenſam ipſos animo habere formam perfectae eloquentiae, quae ſimilis picturae debet habere varietates colorum, & umbras etiam & receſſus, ubi ſpectantium oculi quodammodo conquieſcant.. Videat igitur orator in primis quid deceat, ſtudeatque ut rebus ipſis ſit par & aequalis oratio: dicat ad popularem intelligentiam & commune judicium accommodate, non acervatim uno circuitu multas ſententias complectatur, & dum elegantiae ſervit, caveat ne nimium elaborata concinnitas, quaſi quoddam aucupium delectationis manifeſto deprehenſum appareat. Hinc poetica ornamenta, quamvis poeſis plurimum eloquentiam adjuvare poſſit, parce & timide uſurpabit, & magnorum exemplis poetarum commonefactus (quis enim e noſtratibus Danti, Taſſo, Guidio, Filicajae, quis e Gallis Cornelio, Racinio, Deſpreauxio, Fontainio in ſoluta oratione ſimilis eſſe velit?) naturalem non fucatum nitorem perſequetur, & illa verborum ſententiarumque lumina aſſumet, quae non erunt nimium vehementer illuſtria, aut quae nimium longe quaeſita videan-

tur. Grandis &, ut ita dicam, pudica oratio naturali pulchritudine, *ajebat ille*, exurgit, *& quocumque ingreditur, eodem eſt inſtructu, ornatuque comitata. Nam quamvis pene innumerabiles ſint quaſi formae figuraeque dicendi ſpecie diſpares, & plurimi ſint ſcriptores qui in diſſimili prorſus ſcribendi genere laudantur, iiſdem tamen ex fontibus omnis elegantia deduci videtur, in quibus ita natura dominatur, ut nullum ſit artificium, quod illam non imitetur & exprimat: Adde quod ars cum e natura profecta ſit, niſi naturam moveat atque delectet, nihil ſane egiſſe videtur. Itaque qui ea attingunt quibus oratio ornatur atque illuminatur, iiſdem ferme praeceptis atque una inſtitutione erudire diſcipulos ſuos poſſunt; ſed a pleriſque loquacitatis magis quam perfectae elocutionis praecepta traduntur; quare minime eſt mirandum ſi multorum oratio, quae lumen adhibere rebus deberet, ita confuſa & perturbata ſit, tantaque inſolentia ac turba verborum contaminata, ut ea obſcuritatem & tenebras afferat, atque ut quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur. Non equidem dubito, quin melius ageretur cum eloquentia, ſi non eſſet tanta magiſtrorum turba; doleoque elapſa*

illa tempora, quibus omnes prope praeclare loquebantur & ſcribebant, quamvis nulla fere praecepta ornandae orationis traderentur: nunc vero cum abundemus inſtitutoribus, nihil proferre audemus, quod non ſonet atque oleat peregrinum, ſic ut melius loquantur ii, in quibus minimum eſt litterarum, & feminae ipſae, quamvis rhetorices prorſus ignarae, eloquentius & clarius valeant, quod ſentiunt, exprimere. Miramur etiam cum ſit quaedam elegantia Florentini populi, urbiſque propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere poteſt, pleroſque peregrinam magis inſolentiam quam illam ſequi. Sed non eſt hujus loci praecepta tradere rectae elocutionis, quam qui contemneret Politus vix hominem, nedum oratorem, eſſe putabat. Saepe vero illa auribus diſcipulorum ſuorum inculcabat, ut ſive Latine ſive Etruſce ſcriberent, verba adhiberent uſitata & proprie demonſtrantia illud quod ſignificare & declarare volebant; vitarent ambigua; ne valde producerent ea, quae ſimilitudinis cauſſa ex aliis rebus trasferuntur; ne diſcerperent ſententias; ne nimis longe verba continuarent; numerorum rationem tenerent; & ſi quando carpenda membris minutioribus more Gallorum eſſet oratio, ipſa membra

numeris quibuſdam vincirent, ſic ut ſemper varie diſtincteque ipſa conſideret. Prorſus optaſſet Politus ut utilitatem ac prope neceſſitatem ſuavitas quaedam & lepos conſequeretur, ſic ut omnes quod eſſet aptum perfectumque facile cernere poſſent, & ad illud in ſcriptis ſuis exprimendum incendi. Ipſe quidem illuſtria hujus rei exempla dedit, laetabaturque plurimum cum te intueretur ſic eloquentiae ſtudere, ut idem eſſes, quod de Scaevola praedicatum eſt, juriſperitorum eloquentiſſimus, & eloquentium juriſperitiſſimus. Quod ſi a viro optimo & iſtis rebus inſtructiſſimo, dum viveret, plura mutuatus es ad id, quod cupiebas, adipiſcendum prope neceſſaria, non dubito equidem quin tibi grata futura ſit recordatio praeteritorum temporum, quam dabit tibi ſimplex & dilucida expoſitio illarum rerum, quas idem geſſit ad litterarum incrementum. Vale, vir humaniſſime atque doctiſſime, ſicque accipe hoc commentariolum, quod auctum ſecundo prodit in lucem, ut quamvis nulla ſit cauſſa manibus id tangi tuis, quod occupatis auribus non convenit, intelligant tamen omnes me meaque maxime tibi cordi eſſe.

Piſis Kal. Mart. MDCCLXXXI.

ALEXANDER POLITUS.

ALexander Politus Florentiae natus eſt VI. Id. Quint. an. MDCLXXIX. Joanne Polito, & Victoria Manellia civibus Florentinis. In iis ſtudiis, quae ab humanitate nomen habent, imbutus eſt a Jeſuitis. Philoſophiae vero praeceptores habuit homines, ut vocant, Scholarum Piarum. Dici non poteſt quantum vel a prima pueritia litterarum amore flagraverit, ut prae illarum dulcedine non ſolum omnia alia oblectamenta abjiceret, ſed etiam parum valetudini parceret. Studioſus audiendi ea loca frequentabat, quo convenire ſoliti erant docti homines, a quibus ſi quando ſermo aliquis de litteris haberetur, attentas ille aures praebebat, neque prius diſcedebat, quam ad finem ſermo eſſet deductus. Quo vero expleret cupiditatem, quam habebat, notitiae clarorum doctrina hominum, ſcriptorumque ab iis librorum, ſaepe erat in bibliothecis; & quantum illius ineuntis aetatis patiebatur pudor, multa ex iis, qui illis praeerant, quaerebat. Dederat eidem natura inge-

nii vim & quoſdam igniculos, quibus totus incendebatur ad gloriam, ad quam ut certius ac brevius perveniret, plurimum ſtudii Graeca in lingua, uſus praeceptore Jacobo Maria Ayrolo e S. J. viro non modo Graecis, ſed etiam Latinis & Hebraicis litteris docto, conſumpſit. Intelligebat enim, qui Graece neſciret, aditum ad veram ſolidamque eruditionem patere nemini. Sunt haec quidem in omni aetate laudanda, ſed in puero admirationem quamdam habent. Tali modo exacto aetatis anno quinto & decimo, ſodalitatem Scholarum Piarum ingreſſus eſt. Eo tempore, quo tyrocinium poſuit, huic rei ſtuduit in primis, ut aliquos veterum Latinorum poetarum illuſtraret, confecitque volumen obſervationum, quod dicavit Sigiſmundo Coccapanio, qui inter ſuos magnam auctoritatem habebat (praeerat enim Etruſcae Provinciae) & a quo non diligebatur ſolum, ſed etiam amabatur. Abſoluto tyrocinio, renovavit ſtudia philoſophiae: ſed haud ita multo poſt ab iis diſceſſit, ut Romae operam rerum divinarum ſcientiae daret. In hac cum profeciſſet non mediocriter, doctrinae atque ingenii periculum

fecit an. MDCC. plaudentibus primariis Familiae viris, qui ad generalia comitia Romam acceſſerant. Hoc peracto, Moderatores ei munus detulerunt publice docendi artem rhetoricam; ſicque eam docuit aliquot in Etruriae Collegiis, ut omnibus ſe probaverit. Nam non modo diſcipulis ſuis commonſtrabat viam, & ut fieri ſolet, digitum ad fontes intendebat, ſed ipſos manu prehendebat, ponebatque veſtigia quae perſequerentur. Optaſſet ille quidem, ut omnes Latina cum Graecis conjungerent, utque pares evaderent in utriuſque orationis facultate, ſed cavebat ne plus exigeret, quam ſe aſſequi poſſe ſperaret. Hinc venit haud multos poſt annos ad philoſophiam explicandam, ſectatuſque eſt, ut temporibus illis, Peripateticos, aliquo tamen rerum delectu habito, ut videretur ea, quae dictabat, e fontibus eorum judicio arbitrioque ſuo hauſiſſe, non a doctore aliquo ſumpſiſſe. Interim arbitratus eſt utile fore ſtudioſae juventuti, ſi contraheret & in anguſtum deduceret totam pene formam philoſophiae Peripateticae. Itaque anno MDCCVIII. librum edidit his verbis inſcriptum: *Philoſophia Peripa-*

tetica ex mente S. Thomae Aquinatis per breves Theſes ad Ariſtotelicam methodum explicata ab Alexandro a S. Sigiſmundo Florentino Scholarum Piarum. Sed quae hic coarctaverat dilatare poſtea aggreſſus eſt; eratque ei propoſitum, non ſolum nihil praetermittere eorum, quae ad illuſtrandum illum Peripateticorum parentem Ariſtotelem pertinerent, ſed etiam omnia perſequi, quae ab illuſtrioribus hujus diſciplinae ſectatoribus, ne Scholaſticis quidem exceptis, ſcripto mandata fuerant. Arduum ſane opus vaſtumque, ut ipſe appellabat, quod brevi e manibus depoſuit, ſeu quod eum voluntas, aut ſpes abſolvendi defecerit, ſeu ut diligentius ſatisfaceret muneri tradendae rerum divinarum ſcientiae, quod ei anno MDCCXII. demandatum eſt. Atque haec facultas ſi non ſumma, haud vulgaris tamen erat in eo. Nam, ut docuimus, adoleſcens haud parum ſtudii in ea poſuerat, nec ullo unquam tempore removerat ſe a SS. Patrum lectione; fungebaturque jam tum munere Theologi Cardinalis Medicei. In hoc quoque, non ſecus ac praeſtitit in philoſophia, ſibi elaborandum putavit, ut totius theolo-

giae ſummam uno volumine explicaret, quod volumen manu ſua ſcriptum cum cuidam ex diſcipulis ſuis commodaſſet, hic reddere amplius noluit, impudentiſſime negans ſe accepiſſe. Profecto Politus tanta erat induſtria, tantumque evigilabat in ſtudio, ut quo tempore totus erat occupatus in aliquo opere, non jam quaereret quibus rebus relaxaret ac remitteret animum, ſed quibus aliis intenderet. Cum illi igitur nullum a legendo ſcribendoque vacuum tempus relinqueretur, potuit haud multorum annorum ſpatio meliora facere, quae pene puer notaverat in Lucretium & Martialem, quem poſtremum ad incorruptorum quoque codicum veritatem exegit; multa ſcribere in Etymologicum magnum Andromachi, in Ethnica Stephani Byzantini, in Dionyſium Halicarnaſſeum, praeſertim corrigens interpretationem, quam ejus fecerat Huſonius, & in Herodotum, quem etiam in Latinum convertit. Atque haec inedita. In vulgus vero anno MDCCIX. Latinam Orationem emiſit, qua probabat breviorem longe eſſe optimarum omnium artium, quam humanae vitae curſum; ac triennio poſt librum *de Patria in teſtamentis conden-*

dis poteſtate quem conſcripſit rogatu cujuſdam nobilis viri, quemque inſtituit ad Salvinum Salvinium virum optimis artibus eruditiſſimum ac ſecum familiaritate conjunctum. Materies haec tota erat propria Juriſconſultorum, quorum arti cum ille nunquam ſtuduiſſet, evenit quod accidere debebat, ut ejuſdem artis antiſtites quidam ipſum male habuerint, & ex jure manu conſertum vocaverint, quod in alienas poſſeſſiones tam temere irruiſſet. Sed ajebat ille, hanc ſcientiam omnibus patere; tuebaturque ſe teſtimonio Antonii, qui quanquam juris prudentiae minus ſe ſtuduiſſe fateretur, tamen ſe non vereri dicebat, ne iis cauſſis, quae ſibi in jure defendendae eſſent, ſatisfacere non poſſet, cum juris utilitas ad quamcumque cauſſam, quamvis repente vel a peritis, vel de libris depromi poſſit. Verum hoc erat leve & infirmum. Cujus enim ponderis eſſe poteſt ſententia hominis de jure civili, qui ſe illud neſcire confeſſus eſt? Adde, quod Antonius, ut idem poſtea teſtatus eſt, ea aliaque ſimilia pronunciavit; ut refelleret (in quo nemo ei unquam praeſtitit) Craſſum, qui non dubitaverat impudentiae ſingularis eos con-

demnare, qui hac juris ſcientia nudati ad forum accederent, non ut ea exponeret, quae ipſe ſentiret. Sed illuc redeo. Cum videret Politus a pleriſque ita hanc artem tractari, ut eam indotatam atque incomitatam & incomptam eſſe ſinerent, voluit ipſam in hoc libro verborum dote & infinita pene eruditione locupletare & ornare. Sed in hoc peccavit, quod non ſenſerit quid eſſet ſatis. Sint igitur in hoc libro praeclara multa, nec levis eſt illa conjectura, quod inſertus fuit in *Theſaurum* operum illuſtrium Juriſconſultorum, qui apud Batavos impreſſus eſt; ſunt tamen haud pauca redundantia, nec ſua quoque ei deſunt abſurda. Quare minime mirum eſſe debet, ſi in epiſtola quadam ad Ludovicum Bertrandum, in qua plura perſequitur de ratione ſtudiorum ſuorum, illum ſibi excidiſſe conqueſtus eſt. Magnum jamdudum ceperat Politum deſiderium conficiendae ſibi bibliothecae, quam non modo utilem, ſed neceſſariam exiſtimabat ad eas res, quas apparabat. Igitur cum omnes vendemiolas ſuas eo conferret; feſtivam jam hoc tempore habebat librorum copiam, praeſertim Graecorum; comparave-

ratque etiam quoſdam raros manu ſcriptos codices, quorum erat quam qui maxime intelligens. Ad hanc copiam augendam omni ferebatur cogitatione, quo factum eſt, ut omni ſtudio ſuos reddiderit. Joannem Gibſonium & Georgium Jachſonium Britannos, homines honeſtiſſimos, divitiis affluentes, ac litteratorum ſtudioſos & fautores. Quae quidem res ei ſalutaris fuit. Nam ab iis multa adjumenta habuit non modo ad emendos libros, ſed ad inſtituendam quoque editionem Euſtathii, de quo nunc dicemus. Conſtat inter omnes ex multis veterum, qui in Homero explicando, emendandoque operam ſuam collocarunt, unum excellere Euſtathium Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, qui ſaeculo XII. floruit. Hic enim admirabili judicio ac eruditione inſtructus, cum in unum locum collegiſſet eximia quaeque ac praeclara, quae in omni aetate notata fuerant in illum epicorum poetarum principem, deſcriptiones temporum, ſacrorum jura, ſacerdotum, domeſticam & bellicam diſciplinam, ſedem regionum, locorum, omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuit, plu-

rimumque non ſolum Homero, omninoque & Graecis litteris luminis attulit & verbis. Sumpſerat hunc Auctorem in manus Politus, nec ſatiari poterat illo legendo. Qua de re cum ſermonem aliquando contuliſſet cum amiciſſimo collega ſuo Juliano Sabbatinio, docto viro, qui poſtea Mutinae Epiſcopus factus fuit: *quin tu*, hic inquit, *ſuſcipis cogitationem curamque dignam virtute tua, ut, quod multi tentarunt, nemo perfecit, celeberrimum hunc interpretem in Latinum convertas, ſuiſque locis illuſtres?* Huic ille: *Vellem equidem*, inquit, *praeſertim te auctore, ſi mihi ullum tribueretur vacuum & liberum tempus*; *neque enim, occupata opera, res tanta ſuſcipi poteſt*. Nihilo tamen minus Politus, qui magna ſemper ſpectavit, ſibi experiendum cenſuit; & quantum ſibi tribuebat otii docendi munus ad Euſtathium potiſſimum conferebat. Inſtituto jam opere, ecce Genuam mittitur (id fuit anno MDCCXVI.) ad tradendam e ſuperiori loco rerum divinarum ſcientiam, totoque biennio, quo in illa civitate fuit, nullum diem abire ſivit, quin aliquid laboris in Euſtathium impenderet. Poſt hoc tempus reverſus in patriam, cum ſibi ini-

tium requieſcendi, atque animum plane vacuum ad ſua ſtudia conferendi conceſſum eſſe arbitraretur, caſus moleſti quidam intervenerunt, qui licet illum non removerint a perſequendo Euſtathiano opere, multum tamen celeritatem illius abſolvendi retardarunt. Id erat propoſitum Polito (& ſane praeſtitit intelligentium judicio) ut non modo verbis plane Latinis ſententias Euſtathii converteret, ſed quantum fieri poterat verbum pro verbo redderet, & genus omnium verborum, vimque ſervaret; quod eo difficilius fuit, quod habet Graecus iſte ſua verba & genera loquendi, quae vix aut profecto aegre quiſquam intelligat, niſi ſit in eo legendo ſtudioſe & multum volutatus. Illa igitur Politus ſe non ſolum tanquam appendere lectori putavit oportere, ſed etiam, quantum res patiebatur, adnumerare. Quod vero attinet ad illuſtrandum opus, id ille ſpectavit, ut omnia obſcura, quaeque in aliqua parte difficiles explicatus habere poſſent, pateſaceret. Quae dum praeſtitit, inſtituto ſuo vagatus eſt latius. Nam multa & varia tum Graecorum, tum etiam Latinorum ſcriptorum loca examinat atque

judicat, & agendo partes modo theologi, modo geographi, modo oratoris ac poetae, ſaepius philoſophi, ſaepiſſime vero grammatici voluit omnibus oſtendere lumen ingenii ſui. Huc quoque corollarium intulit quorumdam animadverſionum, quas inter legendum fecerat Antonius Maria Salvinius, homo Graecis litteris adeo eruditus, ut nullius rei, quae quidem eſſet in his litteris, ignarus eſſe videretur. Cum hujus praeclari operis fama non ſolum, ſed etiam ſpecimen quoddam ad publicum perveniſſet, avide illud exſpectabatur. Verum ſeu quod pecunia deeſſet Polito ad ſumptus faciendos in impreſſionem primi voluminis, quam ipſe ſibi aſſumpſerat, cum ceterorum imprimendorum onus ſuſcepiſſet typographus Bernardus Paperinius, ſeu aliud cauſſae fuerit, habuit ſane longam moram haec primi voluminis editio. Prodiit tandem anno MDCCXXX. deditque illi Politus patronum Joannem Gaſtonem Magnum Etruriae Ducem. Biennio poſt vulgavit ſecundum volumen, quod inſcripſit CLEMENTI XII., ſecutumque eſt tertium anno MDCCXXXV. Ludovico XV. Galliarum Regi dicatum. Hic

haeſit res cum querelae ortae fuiſſent inter Politum & Typographum. Ille vero doluit ſemper haud ſibi dari facultatem abſolvendi opus, quod certe immortalitas conſecuta eſſet. Nihilo tamen ſecius magnam ingenii famam collegit, & hic ſuus labor, ut in lucem venire coepit, late illico dimanavit ad exiſtimationem hominum commendatione & judicio intelligentium. Quo factum eſt, ut ei anno MDCCXXXIII. delatum fuerit munus tradendarum litterarum Graecarum in Piſano Gymnaſio. In hoc ita ſe geſſit, ut omnes magis magiſque ſint admirati in eo excellentem Graecae linguae cognitionem. Sed optandum erat, ne ſe adeo in litteras abderet, ſeque paullo faciliorem praeberet in admittendis domum, audiendiſque doctrinae cupidis adoleſcentibus. Anno, qui ſecutus eſt, rogatu Senatoris Ferrantis Capponii, vitam ſcripſit feminae ſanctitate eximia Mariae Angelae Giniae Florentinae, quae inter eas virgines fuerat, quae ſuburbanum Monaſterium incolunt, quod dicunt *S. Matteo in Arcetri*. Poſt neque ita multo ad docendam eloquentiam in eodem Gymnaſio electus eſt, quod

munus nemo poſt mortem Benedicti Averanii obtinuerat, ut glorioſum fuerit Polito ei viro ſucceſſiſſe, qui magna eloquentiae atque eruditionis laude non ſolum in Etruria, ſed prope cuncta in Europa enituerat. Hanc provinciam ita ille ſuſtinuit, ut ſtudioſi dicendi adoleſcentes, qui ad eum audiendum frequentes conveniebant, non jam inanem quamdam & nudam eloquentiae ſpeciem intuerentur, ſed plenam & perfectam. Homo enim abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum & copia inſtructus poterat facile eos fontes aperire unde non aliqua aquula ſcateret, ſed univerſum flumen erumperet; qui quidem ita abditi ſunt & retruſi, ut pauci doceant & teneant. Mos eſt a majoribus traditus, ut qui huic muneri praeſunt in anniverſaria ſtudiorum inſtauratione Latinam habeant orationem ad excitandos inflammandoſque adoleſcentes ad laborem & laudem, cui quidem ſic ſatisfecit Politus, ut nomen diſertiſſimi oratoris ſit conſecutus. Harum orationum quaſdam ſeparatim edidit, duas in tertium volumen Euſtathii retulit, eaſdem octo numero in unum volumen collegit, quod Ro-

mae anno MDCCXLII. edidit, ac BENEDICTO XIV. dicavit; atque has ipſas iterum cum aliis quatuor anno MDCCXLVI. Lucae vulgavit. Sed cum ille videret a ſe tractata argumenta eſſe communia & pervagata, novum quoddam & inuſitatum in medium proferendum putavit; ſumpſitque hoc ſibi, ut ſingulis orationibus aliquam Etruriae urbem laudaret. Harum ſex fecit, quae laudationes continent Piſarum, Volaterrarum, Aretii, Cortonae, Samminiati ac Liburni; in quibus admonendi ſunt Lectores, ne, ut ab hiſtorico, veritatem omnium laudatarum rerum exigant. Ut noſtrum vero de eloquentia Politi judicium proferamus, dico perbene illum Latine locutum, quamvis ſemper uſus non ſit Ciceronianis dicendi modis, numeroſum oratorem & volubilem, atque eumdem vehementem, & magna eruditionis copia inſtructum, qua non ad pompam utebatur, ſed ad illud apte & decore probandum, quod ſibi propoſuerat. Nec minus callebat alterum illum quaſi corporis ſermonem, id eſt actionem, quam licet ſemper ad id, de quo dicebat, cum quadam dignitate accommodaret, dicens tamen a-

liquando Piſis de ludis Piſanis ſibi viſus eſt poſſe ab armis aut a paleſtra mutuari. De reliquo totum corpus hominis, & ejus omnis vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonabant, ut a motu animi quoque ſunt impulſae. Nemo autem ignorat ita hanc rem unam dominari in dicendo, ut ſine ea ſummus orator eſſe in numero nullo poſſit, mediocris eadem inſtructus ſummos ſaepe ſuperare. Si quis vero quaeſierit quae ex ejus orationibus nobis maxime arrideat, ceteris praeferre non dubitamus illam, qua probatur multorum optimorumque librorum lectionem non modo utilem, ſed etiam neceſſariam eſſe ad eloquentiam omneque ſapientiae genus adipiſcendum. In ea enim imaginem exprimere & effingere ſui ipſius homo, quem vere helluonem librorum dixiſſes, voluiſſe videtur. Atque eo libentius vacabat eloquentiae Politus, quod ei erat perſuaſum reliquas artes ſine ea perfecte ſuum munus praeſtare non poſſe, quare ſcriptores inopes elegantiae *remiges aut bajulos cujuſdam operis*, ut Caecilius (*), appellabat. Interea dum co-

(*) Apud Cic. de orat. l. 2. c. 10.

gitabat quibus aliis rebus poſſet & ſuae famae, atque publicae utilitati proſpicere, conſilium cepit edendi omnia veterum ſcripta copioſis a ſe commentariis illuſtrata, quibus Chriſtianae religionis propugnatio atque defenſio adverſus Gentes ſuſcepta ab iis fuit, a qua mente poſtea diſceſſit non alia credo de cauſſa, niſi quia facillime in eo vel ardentiſſima ſtudia deſerveſcebant. Idem dicito de commentariis, quae parabat in Herodotum, quaeque cum inedita Matthaei Palmerii hominis Piſani interpretatione vulgare ſibi propoſuerat. Quoniam vero ipſe vehementer delectabatur in eo genere eruditionis, quod ad antiquitatem pertinet, multa collegerat quae ſibi, & iis, qui de his rebus judicare poterant, recondita videbantur. Itaque de iiſdem edendis ſaepe & multum rogabatur. Edidit quidem longiorem epiſtolam ad litteratiſſimum virum Jo. Lamium de uſu quadrigarum apud veteres, quae relata fuit in I. volumen operum Jo. Meurſii, quorum imprimendorum idem non ſolum auctor, ſed etiam adjutor fuit. In his quoque Meurſianis operibus locus eſſe debebat epiſtolae, quam ipſe inſtituit ad Georgium Iachſonium, quaque defenſio-

nem ſuſcepit Gregorii Nazianzeni adverſus eumdem Meurſium. Hic enim ſanctiſſimum illum virum calumniae condemnaverat quod ad ἀπληςίαν, ſeu ut ipſe explicat, ad quamdam inexplebilem avaritiam traxerit, quae ex veterum, ac praeſertim Herodoti & Plutarchi teſtimonio in contemptum divitiarum feciſſe & dixiſſe videtur Solon. Sed cum ſero, perfecta jam impreſſione, veniſſet, latuit ad annum uſque MDCCLIV. quo tempore eam Franciſcus Gorius vulgavit. Nam locum ei dedit ſeptimo in volumine *Symbolarum litterariarum*. Maxime vero Politum amore flagraſſe in Euſtathium haec erunt indicio. Anno MDCCXXXIX. in lucem emiſit ſane longam epiſtolam Latinam ad clariſſimum virum Cajetanum Moneliam, in qua diligenter & erudite examinat locum Euſtathii ex commentario Periegeſis, ubi dicit ex quorumdam ſententia Tarſum non ſignificare in ſacra Scriptura urbem illam caput Ciliciae, ſed Carthaginem. Oſtendit ille multis exemplis hoc verbum utramque habere ſignificationem, ſed trahi ad Carthaginem non poſſe, niſi aut res, aut tempus, aut alia ſimilis ratio ſuadeat. Strenue defendit S. Hierony-

mum, & Septuaginta Interpretes a nota erroris, quam iis inuſſerat Samuel Bochartus. Sibi tamen in extrema epiſtola non temperavit a vellicando doctiſſimo hoc viro, ut & mordet eo loco Natalem Alexandrum, vocans illum alienorum ſcriniorum expilatorem. Ceterum Politus ex eo tempore quo ad Euſtathium interpretandum acceſſit, plurimum ſtudii ſibi ponendum eſſe exiſtimavit in geographicis rebus; & ſane dum ad examen revocat veteres ſcriptores Euſtathiumque ipſum, haud parum lucis veteri geographiae attuliſſe videtur. Non poterat vero non admirari magnopere ita diligenter & accurate Homerum geographiae & chorographiae ſatisfeciſſe, ut ex eo conjici poſſet ipſum dum viveret, quod a nonnullis quoque memoriae proditum eſt, permagnam terrarum partem peragraſſe, & tum mediterranea, tum maritima loca, atque inſulas oculis ſuis perluſtraſſe, & de ſingulis rebus uniuscujuſque regionis propriis, quas exploraſſet, commentarios confeciſſe, unde poeſin ſuam locupletaret. Biennio poſtquam illa ediderat, rediit Politus ad Euſtathium ſuum, ut ejus commentaria in Dionyſium

Periegetam in Latinum converteret. Qui in hac re antea elaboraverant, opus adeo inſcite atque impolite perfecerant, ut peregrinos atque hoſpites in lingua tum Graeca, tum Latina plane ſe eſſe oſtenderint. E contrario Politus cum utramque perfecte calleret, potuit famam optimi interpretis ſuſtinere. Vix agnoveris in hac interpretatione Graecum ſcriptorem, ſed Latine opus ſuum ad uſum Latinorum hominum condidiſſe ipſum exiſtimaveris. Neque hac re contentus Politus duos libros confecit animadverſionum in eumdem Euſtathium, & ipſum Dionyſium, in quibus antiquitatis, ſcriptorumque veterum ſe litterate peritum oſtendit; hoſque retulit in illud volumen Orationum, quod, ut ſupra docuimus, Romae an. MDCCXLII. in lucem emiſit. Has eaſdem animadverſiones poſtea multo copioſiores elucubravit, eo conſilio, ut ipſa ederet cum ipſis Graecis ſcriptoribus, neque cum ſuis modo, ſed etiam cum interpretationibus, quas Dionyſii fecerant Rufus, Feſtus, Avienus & Priſcianus. Parata erant omnia, coeptaque jam erat impreſſio, cum repente rem abjecit Politus, cauſſatus ſibi pecuniam deeſſe, neque,

quo manus porrigeret, ſuppetere. Meliorem exitum habuit opus ſane magnum & arduum, quod de Martyrologio Romano edere inſtituit. Jamdiu Politus in ea cogitatione curaque verſabatur, ut corrigeret quae continebat menda Martyrologium Romanum; & huic rei in maximis ſuis occupationibus aliquid ſemper temporis impertierat. Hujus ſui laboris fecit ipſe mentionem, cum aliquando loqueretur de toto genere ſtudiorum ſuorum cum S. P. BENEDICTO XIV. Romam enim anno MDCCXLI. venerat. Re audita, Pontifex eum hortatur, *ne cui rei parcat ad ea perficienda, quae inſtituerat; utique fore magnae laudi ſibi, utilitatique Chriſtianae reipublicae*. Hujus Politus voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, totum ſe & animo & corpore ad illam convertit. Anno igitur MDCCLI. primum operis volumen, quod Januarium menſem continet, in lucem edidit. In hoc multa induſtria & diligentia comparet, multa & doctrina. Reliqua contento curſu in vulgus proferrre ſibi propoſuerat, in quo cum eſſet acerrime occupatus, accidit perincommode, ut ex caſu ſic ei laederentur brachium & manus

dextra, ut iis uti non poſſet. Hac accepta plaga, non eſt credibile quam afflictum & fractum animum omnibus oſtenderit. Homo enim, qui nil magis optabat, quam omnem vitae curſum in labore & contentione traducere, maxime dolebat ereptam ſibi eſſe ſcribendi facultatem. Vehemens hic animi angor maxime concitaſſe creditur apoplexin, quae eum XV. Kal. Sexſtiles anno MDCCLII. corripuit, paucis poſt diebus quam Piſis Florentiam venerat, ut impreſſionem ſecundi voluminis Martyrologii urgeret. Ex vi morbi mortuus eſt VI. Kal. ejuſdem menſis veſpere, cum compleſſet annos LXXII. dies tredecim, e quibus in Sodalitate annos LVII. dies XVIII. exegit. Sic ei a ſuis Collegis juſta facta ſunt, ut omnes intelligerent magno apud illos in honore fuiſſe. Convenerunt quoque ad has exequias cohoneſtandas non pauci docti homines, qui cum Polito conjungebantur aut amicitia, aut muneris ſocietate, quod erant in Piſana Academia liberalium artium Magiſtri. Mediocri fuit ſtatura, corpore paullo pinguiori, viribus ad laborem ferendum firmis, facie rotunda, in qua ſuavis inerat color, a-

cuta voce, oculis eminentibus & acribus, fulvoque ante canitiem pilo. Induſtria & ſolitudine videbatur ali, quare cum hominibus raro ſe conſociabat, & adeuntes ad ſe licet admitteret, cito tamen iis ſe expediebat, quod in more quoque Petavio fuiſſe narrat Huetius. Mirum tamen, quod in ſenectute factus ſit paullo facilior, adeo ut ſeveriorum ora interdum erubuerit. In proſpiciendo rationibus ſuis nemo illo ſolertior, & cum omnes ferme vias pecuniae honeſte acquirendae noſſet, ardebat acerrime, ſi quis improborum ſpes ſuas ſefelliſſet. Sic bonus erat cuſtos & ſervator librorum ſuorum, quorum augendorum nunquam finem fecit, ut ab eorum uſu quemlibet excluderet. Nae facilis, ac multus erat in conquerendo adverſam fortunam, quod minime ſibi darentur facultates, quibus ſtudiis ſuis conſulere, ſcriptaque ſua edere poſſet: nemo vero ignorat omnes, quibus ſunt res minus ſecundae, plerumque ſuſpicioſos eſſe. Idem a contentionibus, quae ſaepe Litteratorum rempublicam turbant, averſus fuit: ſua tamen ſcripta notari aequo non ferebat animo. Cum exiſtimatione doctrinae

non ſolum apud Italos, ſed etiam apud exteros magnopere floreret, potuit facile multorum doctorum virorum familiaritates ſibi conciliare; inter quos honoris cauſſa nomino Antonium Mariam Salvinium, Joſephum Averanium, & Henricum Newtonium. Nec non a Principibus viris gratiam iniit. Siquidem CLEMENS XII. multis eum honoribus decoravit; FRANCISCUS III. Magnus Dux Etruriae, quem nobiliſſima Latina oratione laudavit, munera ſatis larga ei dedit; BENEDICTUS vero XIV. poſt plurimas amoris ac beneficentiae declarationes, illum eodem gradu eſſe voluit, quo ii ſunt, qui ſupremum Ordinis Magiſtratum obtinuere. In hac tamen gloria, nominiſque celebritate modeſtiam ſemper ſervavit. Idem inſtituta Chriſtianae Religionis, Sodalitatiſque ſuae non ſolum pure & caſte, ſed etiam diligenter & ſtudioſe coluit. Quae quidem laus ceteras omnes vincit. Nam non aliud putare debemus eſſe ſapientiam, quam meminiſſe unumquemque quid ſui officii & muneris ſit, idque cum fide & integritate praeſtare.

OPERA EDITA

PHILOSOPHIA PERIPATETICA ex mente S. Thomae Aquinatis per breves Theſes ad Ariſtotelicam methodum explicata ab Alexandro a S. Sigiſmundo Scholarum Piarum. Florentiae an. 1708. *in* 12.

ORATIO ad Academicos Cruſeanos habita in Collegio Florentino Scholarum Piarum ab Alexandro Polito ec., qua probatur, breviorem longe eſſe optimarum omnium artium quam humanae vitae curſum. Florentiae 1709. *in* 4. Hanc orationem ſecundo typis commiſit Politus anno 1723., ut eam ſociam daret alterius argumenti orationi, quam conſcripſerat collega ſuus Ubaldus Mignonius.

DE PATRIA IN TESTAMENTIS CONDENDIS POTESTATE Alexandri Politi a S. Sigiſmundo Scholarum Piarum Theologi ad illuſtriſſimum Dominum D. Salvinum Salvinium Patritium Florentinum, Florentinae Academiae Conſulem ampliſſimum, Libri quatuor. Florentiae 1712. *typis Regiae Celſitudinis apud Jacobum de Guiducciis & Sanctem Franchi. in* 8.

EUSTATHII Diaconi a ſupplicibus libellis & Oratorum Magiſtri, poſtea Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Commentarii in Homeri Iliadem. Alexander Politus Florentinus de Cl. Reg. Scholarum Piarum nunc primum Latine vertit, recenſuit, notis perpetuis illuſtravit. Accedunt notae Antonii M. Salvini V. Cl. Florentiae an. 1730. *apud Bernardum Peperinium In fol. Tom. I. Tom. II. an.* 1732. *Tom. III. an.* 1735.

VITA della Serva di Dio Suor Maria Angiola Gini, Firenze 1738. *in fol.*

ALEXANDRI POLITI de Clericis Regularibus Scholarum

ſtram Piarum epiſtola ad Cajetanum Moniliam virum Clariſſimum Florentiae 1739. Edita iterum fuit an. 1740. hunc titulum prae ſe ferens:

CONFRONTO della Lettera Latina del P. Aleſſandro Politi col riſtretto della medeſima ſtampato nelle Novelle Letterarie di Firenze n. 10. 4. *Marzo* 1740. *In Firenze* 1740. *nella Stamperia di Pietro Gaetano Viviani*.

EUSTATHII Diaconi a Supplicibus libellis & Oratorum Magiſtri, poſtea Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Commentarii in Dionyſium Periegetam, Alexandro Polito de Cler. Reg. Schol. Piar. Interprete. Coloniae Allobrogum apud heredes Cramer & Fratres Philibert 1741. *in* 8. *magno*.

ORATIONES octo Alexandri Politi &c. ad Academiam Piſanam. Ejuſdem animadverſionum in Euſtathium ad Dionyſium Periegetam libri duo. Romae ex Typographio Paleariniano 1741. *in* 4.

ORATIONES duodecim Alexandri Politi &c. ad Academiam Piſanam. Lucae 1746 *ex Typographia Philippi Mariae Benedini*. Sunt hae de multis, quas in eadem Academia dixit, orationibus veluti eximiae ac ſelectae, quae ad rem praecipuae Academicam, inſtaurationemque ejus anniverſariam pertinebant. En ſingularum argumentum.

---- I. *De litterarum Graecarum neceſſitate*.

---- II. *De liberalium omnium artium ac doctrinarum ad eloquentiam neceſſitate*.

---- III. *De litteris humanioribus*.

---- IV. *De univerſo diſciplinarum orbe*.

---- V. *De laudibus Lotharingicis & Mediceis*.

---- VI. *De optimorum ſtudiorum aſſiduitate*.

---- VII. *De lectionis aſſiduitate*.

---- VIII. *De recto ordine ſtudiorum*.

---- IX. *De humanarum diſciplinarum ad Religionis Chriſtianae uſum opportunitate*.

---- X. *De laudibus Academiae Piſanae*.

---- XI. *De laudibus Urbis Piſanae*.

---- XII. *De nobilitate litterarum*.

In hoc orationum volumen relata eſt ejuſdem Politi

EPISTOLA de tribus Martyribus Bononienſibus ad virum cl. Ubaldum Mignonium.

PANEGYRICUS Imperatori Caeſari Franciſco I. &c. Academiae Piſanae nomine conſecratus. Florentiae 1746. *ex Typogr. Petri Cajetani Viviani in* 4.

PANEGYRICUS Volaterrarum Senatui Populoque Volaterrano conſecratus. Piſis ex Typogr. Evangeliſtae Pugli 1748. *in* 4.

PANEGYRICUS Liburni Senatui Populoque Liburnenſi conſecratus. Piſis ex eadem typographia 1749. *in* 4.

PANEGYRICUS Samminiati Senatui Populoque Samminiatenſi conſecratus. Piſis ex Typograph. Joan. Dominici Carotti 1751. *in* 4.

ORATIONES PANEGYRICAE geminae de laudibus Arentinis & Cortonenſibus Alexandri Politi &c. opus poſthumum, utriuſque Urbis Senatui Populoque conſecratum. Liburni 1752. *in* 4.

MARTYROLOGIUM ROMANUM Gregori XIII. juſſu reſtitutum, Urbani VIII. Clementis X., & Innocentii XI. auctoritate recenſitum, a Benedicto XIV. P. M. auctum & caſtigatum, Alexander Politus de Cl. Reg. Sch. Piar. commentariis ſuis poſt Caeſarem Baronium ad veterum librorum, hiſtoriaeque fidem, Pontificio juſſu illuſtravit, &

denuo recenſendum atque caſtigandum Benedicti Papae XIV. judicio ac cenſurae ſubjecit. Florentiae an. 1751. *apud Petrum Cajetanum Vivianum. in fol.*

EPISTOLA de curribus Antiquorum ad virum clariſſimum Joannem Lamium, extat in praefatione ad I. volumen operum Joannis Meurſii, quae Florentiae impreſſa ſunt.

EPISTOLA in loca quaedam Joannis Meurſii: extat in libro cui titulus: *Symbolae litterariae, opuſcula varia philologica, ſcientifica, antiquaria, ſigna, lapides, numiſmata, gemmas, & monumenta medii aevi nunc primum edita complectens, Volum. VII. Romae ex Typographio Palladis* 1754.

ANGELUS FABRONIUS

CAROLO ANTONIOLIO

S. D.

QUoniam Eduardus Corſinius te ſuarum actionum, ſententiarum, voluntatum, rerum denique omnium ſocium comitemque habere voluit, deeſſe porro immortali illi viro viderer, ſi alium judicem hujuſce commentarioli praeter te ipſum requirerem. Colere autem omni ſtudio memoriam debemus hominis non modo virtute eximia, ſed etiam ingenio ſingulari, qui editis ſcriptis & optimis inſtitutionibus plurimum gloriae addidit non Academiae ſolum Piſanae, ſed univerſae etiam Etruriae. Is vero nunc etiam vivere mihi videtur, quod te veluti heredem ſuorum munerum & meritorum reliquerit; cumque ei par ſis ingenii facultate, nequeo non mirari quod adeo publicam lucem reformides, ut nihil te modeſtius, nihil timidius unquam viderim. Erueres ſaltem e tenebris atque illuſtrares, imitatus Politum tuum, quae nonnulli Graeci ſcrip-

tores litteris mandarunt, ad quam rem ſaepe te excitabant Corſinii voces, qui ſane noverat praeſtantiam tuam in Graecis litteris, omnique recondita eruditione. Sed jam quaſi voto quodam & promiſſo te puto teneri, ut tandem in lucem emittas, quae de Graecorum ritibus exaraſti, quo in opere multum & temporis & laboris te inſumpſiſſe audio, perficiaſque quae inchoaſti de fortuna litterarum apud Athenienſes ceteroſque Graeciae populos. Neſcio equidem an tibi probetur ſententia eorum, qui non veriſimile ſolum, ſed etiam verum eſſe cenſent, perinde utcumque temperatus ſit aer, ita pueros orientes animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, & vel ipſas pene vitae actiones, caſus cujuſque eventuſque fingi. Athenis quidem caelum tenue erat, & idcirco Attici acutiores putabantur; & conſtans temperatio & ſerenitas conducere maxime poterat ad exhilarandos animos, & dulces celereſque eorum motus exciendos. In ipſa fortaſſe caeli natura aliqua etiam reperiri cauſſa poteſt ſuavitatis ſermonis Atticorum; & cum nihil apud eos eſſet rude, invenuſtum & inornatum, nihil inſolens & ineptum, & quilibet e populo, & feminae ip-

ſae teretes aures & religioſas, ut Theophraſtus expertus eſt, haberent, adeo vigere apud eos debebant artes, quae orationis elegantia indigent & quae ad oblectandum ſunt inventae, ut ex iis hominum ingenia, honos, fama maxime eluceient. Quis tamen credat illas & temporum & fortunae viciſſitudines paſſas fuiſſe, & ex ampliſſimo in humilem ſtatum decidiſſe? Jam ante Periclem, & illos praeſertim, qui non adultis, ſed naſcentibus Athenis vixerunt, littera nulla extitit, quae quidem ornatum habuerit. Pericles vero ipſe cum floreret omni genere virtutis, dicendi quoque laude fuit clariſſimus, poteratque, ut de eo ſcripſit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinquere in animis eorum, a quibus audiebatur. Nata vero ſemel eloquentia, habuit magnam vim dignitatemque oratio, & vel ii, qui mentem exercebant in reconditis abſtruſiſque rebus, tantum vacabant eloquentiae, ut non ſubtilitate magis diſputandi, quam verborum ornamentis ſua dogmata proponere & contraria refellere ſolerent. Quot doctiſſimi eloquentiſſimique viri ex unius Socratis uberrimis ſermonibus extiterunt! Infinitum eſſet illuſtriores nominare; & conſequentes aetates tantam copiam optime-

rum oratorum effuderunt, *ut hac praeſertim gloria Athenae clareſcere* (*nam hoc ſtudium non erat commune univerſae Graeciae*) *velle viderentur*. *Sed pacis eſt comes* , *otiique ſocia*, *&* *jam bene conſtitutae civitatis quaſi alumna quaedam eloquentia*. Nec enim , *ut ait Cicero*, in conſtituentibus rempublicam , nec in bella gerentibus , nec in impeditis ac regum dominatione devinctis naſci cupiditas dicendi ſolet. *Itaque poſtquam Alexander in ſervitutem Graeciam adduxit*, *non mores ſolum*, *ſed etiam oratio labi coepit ad mollitiem*, *& ſuccus ille & ſanguis incorruptus*, *qui manſerat uſque ad Phalerei aetatem*, *ut & naturalis non fucatus nitor ſenſim emarcuit evanuitque*. *Nam qui nimium delectare volunt*, *nec ſatis a ratione retinentur*, *hi adeo finem & modum tranſeunt*, *ut quo propius ad venuſtatem accedere ſe putant*, *ab ea longius digrediantur*. *Jam Phalereus ipſe traditur primus omnium auſus fuiſſe inflectere orationem* , *& eam mollem teneramque reddere*; *& ſuavem maluiſſe videri*, *quam gravem*, *eaque ſuavitate*, *qua perfunderet*, *non qua perfringeret animos*. *Sed tum Athenienſium animi*, *qui ſolem & pulverem & militaria taberna-*

cula formidare videbantur, facile quidem poterant delectari, minime vero inſlammari, ex eorumque variis moribus pro varia Reipublicae fortuna cujuſque aetatis quae dicendi ratio voluntaſque fuerit intelligi poteſt. Eadem ferme quae devictis domitiſque ab Alexandro Athenienſibus accidere, eveniſſe putare debemus Romanis poſt Actiacam pugnam. Nam cum omnis poteſtas ad unum tum collata fuiſſet, magna illa ingenia, ut ait Tacitus, quae Rempublicam adeo nobilitarant, ceſſere; nihil amplius priſci & integri moris; veritas pluribus modis infracta aut libidine aſſentandi, aut maledicendi ſtudio; & cum nulla amplius eſſet res glorioſa populi Romani, quae ut antea pari eloquentia ac libertate memoraretur, foedo crimine ſervitutis, id eſt adulatione contaminari debuit eloquentia, ſic ut cum quoſdam ornare vellet, non illos honeſtaret, ſed pene ipsa turpare videretur. Hinc Romana lingua plurimum priſtinae majeſtatis dignitatiſque amiſit, cumque novi dicendi modi inventi fuiſſent, qui mirifice blandiebantur corruptis imperantium auribus, brevi eo perventum eſt, ut aeque eſſet deſperandum de recuperanda priſtina libertate atque eloquentia. Quis profecto audeat

comparare cum Iſocrate & Demoſthene, qui conſecuti ſunt, Sophiſtas, quiſ cum Cicerone turbam illam Panegyriſtarum, ſi unum excipias Plinium optimi Principis laudatorem, qui non tam Caeſarum quam vitiorum laudatores, omniſque elegantiae atque eloquentiae corruptores jure meritoque appellari poſſunt? Sit philoſophia mater omnium bene factorum, contineatque recte gubernandi populos diſciplinam; & cum tota frugifera & fructuoſa ſit, vincat praeſtantia utilitateque ceteras omnes artes atque diſciplinas. Verum ſi humaniores litterae ad tantam minime aſpirare poſſunt gloriam, valent tamen & ipſae temperare ac manſuefacere hominum mores, & hac praeſertim laude gloriantur, quod non vigeant ubi tyrannis & ſervitus exiſtit, averſenturque animos timiditate debilitatos, humiles & fractos. Quis igitur non videt magnam vim eſſe in fortuna imperiorum ad provehendas litteras, & ex iis rebus, ex quibus populorum felicitas pendet, ipſarum quoque ſortem maxima ex parte pendere? Qui nimium caeli naturae tribuere videntur conferant nunc miſerandum Graeciae ſtatum cum florentiſſimo praeteritorum temporum, mirabunturque eadem loca, quae olim

ſummos oratores, poetas, philoſophos, ac ſtrenuiſſimos duces pepererunt, nunc habitari ab hominibus, inter quos & ſtipites Aethiopes nihil crederes intereſſe; cujus differentiae cauſſas facile eſt in diſſimili rerum publicarum fortuna reperire. Scio cum in haec inquireret Corſinius pro ſuo ſingulari ſtudio in Graecas litteras illum collacrimare ſolitum, & vehementer optaſſe, ut aliquis exurgeret, qui regionibus illis, excuſſa caligine tetriſque tenebris inſcitiae, priſtinam dignitatem redderet, & poſtquam per tot ſaecula indigniſſimae ſervitutis jugum pertulerunt, ad adſpiciendam aliquam libertatis lucem eaſdem revocaret. Ipſe quodammodo claſſicum ceciniſſe viſus eſt, cum multa ad veterum Athenienſium hiſtoriam pertinentia in vulgus emiſiſſet, oſtendiſſetque per quos, quibusque legibus inſtitutisque ii populi olim regebantur, ſicque cum quilibet conferre poſſet veterem illam Graeciam, quondam opibus, litteris, imperio, gloria florentem cum recenti non ſolum omnibus reliquiis priſtinae dignitatis ſpoliata, ſed omni calamitatis genere fracta atque afflicta ad hanc ſublevandam commoveretur. Nos quidem libentiſſime excipimus (quid enim aliud praeſtare poſſumus ?) in Acade-

miam Piſanam profugos Graecos, qui ad nos interdum confugiunt, ut in litteris inſtruantur, cumque aliquando ſpes fuiſſet redactum iri illas gentes in poteſtatem ejus Heroinae, quae ad magna ſuſcipienda perficiendaque nata videtur, inhaerebat quodammodo in mentibus omnium quaſi ſaeculorum quoddam augurium futurorum, quae praeterita omnis virtutis gloria eſſent aequatura. Sed jam ad Corſinium ipſum veniamus explicaturi, quantam res Atticae occaſionem ei obtulerint ſcribendi, nominiſque celebritatem ſcriptis ſuis, ſane cedro dignis, conſequendi. Vale.

Piſis VI. Kal. Aprilis MDCCLXXXI.

Google

Eduardus Corſinius.

FAnani, quod eſt oppidum provinciae Frinianae in ditione Ducum Ateſtinorum, III. Non. Octobris anno MDCCII. natus eſt Eduardus Corſinius optimis quidem parentibus, honeſtiſſimaque familia, quippe quae jamdiu civitate Mutinenſi donata fuerat. Is ubi primum adolevit Sodalitatem hominum Scholarum Piarum, quos praeceptores puer in patria habuerat, ingreſſus eſt. Multa diligentia, multoque labore in humaniorum litterarum, philoſophiae ac theologiae ſtudiis Florentiae ſe exercuit apud ſuos; & cum omnes condiſcipulos gloria anteiret, ab omnibus tamen in deliciis habebatur. Erat enim bonitate ſuavitateque morum prope ſingulari; & cum plurimum faceret non ſolum in excolendis ſtudiis, ſed etiam in officiis omnibus religioſi hominis obeundis, minimum tamen ipſe de ſe loquebatur. Vix ferre poterat Eduardus Peripateticos quoſdam horridos, duroſque oratione & mori-

bus, quibuſcum verſari cogebatur; intellexeratque jam falſos hujuſmodi ſapientiae magiſtros de veritate jugulanda potius, quam defendenda aſſidue certantes, piloſophiam artem feciſſe ſubtiliter & laborioſe inſaniendi. Relictis igitur diſputandi ſpinis, ad Academiam ſe convertit, cujus ratio inquirendi verum libero ſolutoque judicio, & ſine ulla contentione & pertinacia non poterat non magnopere probari homini natura leniſſimo. Nec ſolum in philoſophorum libris eorum dogmata, quae diſputationibus huc & illuc trahuntur, ut ipſe per ſe perpenderet, inveſtigavit Eduardus, ſed etiam philoſophiae adminicula & anſas, qualem Xenocrates geometriam appellabat, in Euclide, Apollonio & Archimede quaeſivit. Quo in itinere felicem adeo habuit exitum, ut fervore quodam aetatis impulſus, brevi condere potuerit libellum de circulo quadrando, quem ad Guidum Grandium miſit. Novit in eo Grandius eximium & admirabile adoleſcentis ingenium, eumdemque hortatus eſt, ut pergeret porro in eo ſtudio, quod ceteris & ſtudiis & artibus antecederet, & in quo ipſe futurus eſſet excellens,

At Eduardus praeſertim trahebatur ad humaniores litteras, quibus a puero mirifice deditus fuerat, quaſque vel in ſublimiorum diſciplinarum occupationibus, ne obſoleſcerent, legendo renovaverat. Itaque moleſte tulit demandatam ſibi a majoribus fuiſſe an. MDCCXXIII. provinciam tradendi publice Florentiae philoſophiam, quaſi ad ea detruderetur, quae ſui non eſſent ingenii. Principio ſequi coactus eſt Goudinium, cui brevi ſubſtituit Hamelium. Atque hos auctores ſic interpretatus eſt, ut facile intelligeretur non eſſe ex illorum doctorum numero, apud quos tantum opinio praejudicata poteſt, ut etiam ſine ratione valeat auctoritas eorum, quos ſequi ſe profitentur. Poſtremo ad ſcholae ſuae utilitatem & ornamentum maxime pertinere exiſtimavit, ſi e multis, quae ſunt in philoſophia & gravia & utilia a recentioribus praeſertim philoſophis tractata, quantum quoque modo videretur deligeret, in quo adoleſcentes exerceret. Sapienter etiam faciebat, quod ipſos non ſolum quibus luminibus ab illa omnium laudandarum artium procreatrice Philoſophia petitis

mentem illuſtrare, ſed etiam quibus virtutibus omnem vitam tueri deberent ſedulo erudiebat. Quare minime eſt mirandum ſi in tantam claritudinem brevi pervenerit, ut ſuis & Florentinis vehementer carus, quibuſdam vero hominibus nudari ſubſellia ſua, & cornicum oculos configi dolentibus eſſet invidioſiſſimus. Fuerunt & nonnulli (tantum invidia, aut inſcitia potuit) qui apud eos, quorum munus eſt providere, ne quid erroris in religionem moreſque irrepat, Corſinium accuſarunt, multa illum tradere, in exponendis praeſertim Gaſſendi & Carteſii ſententiis, a recta religione abhorrentia. Stomachatus eſt homo religioſiſſimus, caſtiſſimuſque obtrectatorum temeritatem. Hos vero ut falſae & iniquae inſimulationis publice convinceret, utque ab omni metu diſcipulos ſuos liberaret, ſtatuit in lucem proferre, quae in ſchola & domi iiſdem expoſuerat. Quod cum praeſtitiſſet, id evenit, ut alteros reprehendiſſe poeniteret, alteri ſe didiciſſe gauderent. Inſcripſit opus: *Inſtitutiones philoſophicae ad uſum Scholarum Piarum*, & illud in quinque volumina diſtribuit. Pri-

mum continet hiſtoriam philoſophiae & logicam; ſecundum verſatur in indagandis principiis, & tanquam ſeminibus unde corpora ſunt orta & concreta, horumque proprietatibus & qualitatibus; agit tertium de corporibus inanimatis, quae caelo, aere, mari & terra continentur; examinat quartum animata corpora, multiplicesque eorum ſpecies, & elementa metaphyſicae tradit; quintum denique morum doctrinam complectitur. Nec ſolum in conficiendis his libris res novas inveſtigavit Corſinius, ſed etiam eas, quae ſunt ab antiquis traditae, quarum cognitionem eo utiliorem putavit, quod ſaepe philoſophos nova proferre judicamus, cum pervetera proferant. Praeter quam quod in ea erat opinione Corſinius, illi, cui propoſitum eſt veritatem invenire, ſingulas noſcendas eſſe diſciplinas, ut ex omnibus, quod probabile videri poſſit, eliciat, praeſertim cum doceamur a ſapientiſſimis viris, nullam ſectam fuiſſe tam deviam, neque philoſophorum quemquam tam delirantem, qui non viderit aliquid ex vero. Nec modo quid ſibi probaretur, ſed aliorum etiam ſententias, &

quid

quid in quamque ſententiam dici poſſet, perſecutus eſt, quod ea modeſtia praeſtitit, ut non vincere maluiſſe, quam vinci oſtenderit. Hanc opinionum varietatem ex ſuis fontibus ſincere deductam, ut potentius in diſcipulorum animos influeret, non modo ordine diſpoſuit, ſed etiam claritate & nitore Latini ſermonis illuſtravit. Praeclare enim Cicero: *mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere poſſit, nec illuſtrare, nec delectatione aliqua lectorem allicere, hominis eſt intemperanter abutentis otio & litteris*. Sunt nonnulli qui in hiſce *Inſtitutionibus* dum pleniſſimo ore laudant immenſam prope eruditionis copiam, politioremque elegantiam, quibus ornantur, deſiderare videntur abditiorem reconditioremque tractationem earum rerum, quae primum in phyſica tenent locum, quales ex. gr. ſunt motus, Newtoniana attractio, harumque leges, non tam ut ceteros, quam ut ſe ipſum, qui nunquam adduci potuit, ut Newtoni ſententiae aſſentiretur, convinceret. Sed ii meminiſſe debent quibus ſcripſerit Corſinius, quibuſque temporibus ſcripſerit. Quoniam ve-

ro plurima ſunt in phyſica, quae ſine geometriae ope tractari non poſſunt, hoc quoque adjumentum a ſe afferri oportere diſcipulis ſuis putavit. Itaque *Philoſophicis Mathematicas Institutiones* adjecit, in quibus ſi ordinem excipias (initium enim facit a proportionibus, quas nemo ignorat difficillimam eſſe geometriae partem) cetera ſatis belle procedunt. Neque multo poſt retexuit hoc ipſum opus, in quo eo elaboravit attentius, quod ſperabat aditum ſibi facturum ad munus tradendi mathematicas diſciplinas in Lyceo Florentino. Acceptum illud cum plauſu fuit propter dilucidam brevitatem atque elegantiam, licet in eo acutiores peritioreſque geometrae pauca quaedam jure ac merito reprehenderint. Praeſtantiam, quam conſecutus fuerat Corſinius in rebus geometricis, voluit ad hydroſtaticam transferre; cumque ſedulo evolviſſet quae in ea facultate ſcriptis mandaverant poſt Galilaeum Torricellius, Michelinius, Guglielminius, Grandius, aliique pauci, in ſcenam prodire non dubitavit ſuſtinens perſonam non modo conſiliarii & arbitri de dirigendis avertendiſque aquis, ſed

etiam ſcriptoris. Etenim ex ejus officina prodiit liber, qui inſcriptus eſt: *Ragionamenti intorno allo stato del Fiume Arno e dell' acque della Valdinievole*, quique editus fuit ſumptibus Marchionis Ferronii, cujus cauſſam praeſertim defendebat. Spe dejectus Eduardus perveniendi in Lycei Florentini doctorum numerum, qui praeter modum iis temporibus creverat, animum ad Academiam Piſanam convertit, petiitque dari ſibi vacuum eo tempore logicae interpretis locum. Celeriter quod optabat impetravit, propterea quod Joannes Gaſto Magnus Etruriae Dux eximiam illius ſcientiam in omni re philoſophica cognoverat. Vir non tam doctrina praeſtans, quam docendo prudens (etenim quaedam etiam ars eſt docendi) magno erat emolumento ſtudioſis adoleſcentibus, qui non uſitata frequentia ſcholam illius celebrabant. Cum vero de ſchola in otium ſolitudinemque ſe conferret, tempus potiſſimum conſumebat in augendis perficiendiſque ſuis *Philoſophicis Institutionibus*, abſolvendoque, quod inſtituerat, opere *de Practica Geometria*. Inter haec magna fuit amnis Arni inundatio,

ut ſi inundationes excipias, quae annis MCCCXXXIII. & MDLVII. acciderunt, nullam unquam majorem fuiſſe conſtaret. Pervaſerat opinio per animos Florentinorum huic luctuoſae calamitati cauſſam praeſertim dediſſe Clanis aquas in Arnum deductas, & quae ad eaſdem moderandas aquas facta fuerant opera. Hunc errorem ut eriperet Eduardus, utque perſuaderet eadem opera fuiſſe utiliſſima ac ſaluberrima, libro expoſuit qualis fuiſſet, & quis eſſet ſtatus Claniae vallis, quidque conſultum & actum ab anno MDXXV. ad ſua uſque tempora, ut peſtilentiſſima regio convaleſcere aliquando & ſanari poſſet, utque controverſiae inter finitimos Principes de dirigendis aquis ejuſdem regionis tollerentur. Piſis erat Corſinio contubernium cum Alexandro Polito, qui humaniores litteras profitebatur, cujuſque vitam ſupra explicavimus. Hominis Graecis & Latinis litteris eruditiſſimi exemplum & voces, ſelectiſſimorumque librorum copia, qua is abundabat, Corſinium per ſe jam flagrantem vehementiſſime incenderunt ad eas artes, quibus ab ineunte aetate deditus fue-

rat, celebrandas. Sciebat Graece, cujus ſermonis elementa juvenis Florentiae acceperat a ſodali ſuo Franciſco Maria Baleſtrio, ſed non luculenter. Itaque multo ſudore ac labore in arte grammatica primum ſe exercuit, poſtea Graeca multa convertit in Latinum, Graecorumque libros & eos praeſertim, qui res geſtas & orationes ſcripſerunt, utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, ſtudioſiſſime legebat. Cum vero ei eſſet perſuaſum ingentes ac prope immenſos campos illi proponi, qui eloquentiae ceteriſque humanioribus litteris vacare cupit, amico hac de re aliquando ſciſcitanti reſpondit: *percipiendam ei eſſe omnem antiquitatem, cognoſcendam hiſtoriam, omnium bonarum artium ſcriptores & doctores & legendos & pervolutandos, & exercitationis cauſſa laudandos, interpretandos, corrigendos, reſellendos; diſputandumque de omni re in contrarias partes, & quidquid erit in quaque re, quod probabile videri poſſit, eliciendum atque dicendum*. Hujuſmodi exercitationes, quas diu incluſas habuit, Corſinius in veritatis lucem tandem proferre ſe poſſe putavit, cum Faſtos Atticos illuſtran-

dos ſuſcepiſſet; magnum ſane opus & praeclarum, quod omnem fere Athenienſium hiſtoriam complecti debebat, cum qua philoſophiae, omniumque laudatarum artium hiſtoria arctiſſime eſt conjuncta. Diviſit illud ipſum opus in partes duas, quarum priorem veluti apparatum Faſtorum eſſe voluit, quod in illa fuſe lateque ea exponerentur, quae commode in ipſis Faſtis, ad quos tamen pertinebant, exponi haud poſſe videbantur. Agit itaque de Archontum inſtitutione, numero, varietate, muneribus & ſerie, de Archontico anno, atque ordine menſium Athenienſium. Cum vero Archonticus annus non in menſes ſolum, ſed in Prytanias etiam diviſus eſſet, ac Tribuum Athenienſium ſingulae aequali temporis, annique parte Prytaniae munere fungerentur, de ipſarum Tribuum ac Prytaniarum numero, ordine ac ſerie, deque Atticae populis, ex quibus illae conſtabant, eruditiſſime diſſerit. Neque ab his ſeparandam putavit tractationem de Athenienſium Senatu & Eccleſiis, deque Proedrorum, ac Epiſtatum numero, diſtinctione & officiis. Tranſit inde ad con-

texendam Archontum ſeriem diſtinguens Eponymos a Pſeudeponymis. Quam diſtinctionem licet nonnulli agnoverint, nemo tamen extitit, qui Pſeudeponymorum Archontum ſeriem illuſtrandae Atticae hiſtoriae maxime neceſſariam recenſere tentaverit. Agit demum de civilibus Graecarum gentium annis, ipſarumque menſibus, cyclis atque periodo, cum antea declaraſſet tempus, verumque diem, quo varia Athenienſium feſta peragi & redire conſueverant. Id facere neceſſe fuit propterea quod eadem feſta, veluti perſpicuae certaeque temporis notae, rerum geſtarum memoriae ſaepiſſime a ſcriptoribus adjiciuntur. Haec quidem in priori operis parte. In ſecunda vero Faſti exponuntur a prima Olympiade, qua Coroebus palmam retulit, uſque ad Olympiadem CCCXVI. Cauſſa fuit juſta Corſinio praetereundi antiquiora tempora, quod iſta laterent craſſis occultata tenebris, & circumfuſa fabulis. Ne tamen primam Athenienſis imperii formam deſpicere videretur (nam Athenis initio Reges, inde perpetui Archontes, mox decennales, tandemque annui imperarunt) qui Reges,

& Archontes perpetui, & qua aetate fuerint in Prolegomenis perſecutus eſt. Ceterum Faſtos ſic contexuit Corſinius, ut nullum ad nos pervenerit nomen Archontum, Olympionicarum & Pythionicarum, nulla lex, neque pax, neque bellum, neque caſus, neque res illuſtris & memoranda populi Athenienſis, quae in iis ſuo tempore non ſit notata. Interdum etiam attigit Spartanorum, Phocenſium, Thebanorum, aliorumque Graecorum geſta, conſilia, pugnas, diſcrimina, quod ea maxime ſint Atticae hiſtoriae conjuncta. Graecos vero philoſophos, poetas, oratores, ceteroſque tum pacis, tum militiae artibus claros viros ita commemoravit, ut quibus Olympicis annis, & quo loco in lucem ſint editi, vitamque finierint intelligi poſſit. Atque haec omnia capitulatim ſunt dicta. Etenim nimis longus eſſem ſi praecipua, & nova vellem deſcribere, quae in his Faſtis continentur. Nihil poſuit in iis Corſinius ſine locuplete auctoritate & teſte, aut ſaltem ſine probabili conjectura; quodque difficillimum fuit, ſcriptorum Graecorum loca aut vitiata aut minime intellecta, aut mutilata ſic reſtituit, illuſtravit, ſup-

plevitque, ut dubitari poſſe videatur plus ne iis reddiderit luminis, quam ab iiſdem acceperit. Neque minori perſpicientia Athenienſium nummos vidit, ex quibus non pauca quidem in rem ſuam hauſit; ſed multo plura e marmoreis monumentis ſumpſit, tali modo dirimens controverſiam, quae exſuſcitata fuerat a ſummis viris Spanhemio, & Gudio, nummis ne, an inſcriptionibus princeps locus dandus eſſet in explicandis ritibus, feſtis, Numinibus, ludis, magiſtratibus, rebuſque geſtis Athenienſium. Inter nobiliores inſcriptiones, quas refert Corſinius, & miro prorſus acumine atque eruditione explicat, & interdum etiam ſupplet, eſt Florentina quaedam apud Riccardios illuſtrandis Athenienſium Tribubus maxime idonea. Sed haec mirifice corrupta erat, augebatque corruptelam collocatio. Etenim cum ex tribus fragmentis conſtaret, imperitus artifex ſic illa in pariete diſpoſuerat, ut media pars primae, ſiniſtra mediae, dextera vero omnium poſtremae partis locum occuparet. Vidit haec mala Corſinius, qui acutiſſime indagabat omnia, iiſque remedia

adhibuit. At puduit Joannem Lamium ſe non adeo lynceum fuiſſe, cum uſus eſſet eadem inſcriptione in ſuis ad Meurſium ſcholiis, & ex pudore orta eſt invidia. Ex quo intelligi poteſt quare is debitas nunquam tribuerit laudes operi, quod omnium judicio longe multumque ſuperat quidquid in hoc rerum Atticarum genere ſcripſerunt Sigonius, Scaliger, Petavius, Petitus, Sponius, & vel ipſi Meurſius, & Dodwellus, quorum errores dum ſaepe corrigit Corſinius, & dum minime ab iis animadverſa profert, ſatis declarat iiſdem detrahere voluiſſe

Haerentem capiti multa cum laude coronam.

Rumor erat ea parare Lamium, quibus ſperabat hominibus ſe probaturum, Corſinium in emendanda illuſtrandaque Riccardiana inſcriptione ſurripuiſſe ſibi ſegetem & materiem gloriae ſuae. Porro Lamius poſt editas Corſinii emendationes ſupponere cogitaverat in locum impreſſae jam paginae in I. Meurſii operum volumine, quae prae ſe ferebat inſcriptionem corruptam, aliam paginam, in qua emendatior inſcriptio legebatur;

haneque mutationem, omnibus occultari poſſe putaverat, quod Meurſii liber nondum eſſet in vulgus editus. Non latuit certe Corſinium, in cujus manus pervenit etiam primum impreſſa pagina, qua omnem a ſe propulſare poterat injuriam. Id ut audivit Lamius aliam rationem iniit perficiendi conſilii ſui. Dedit ad Angelum Bandinium litteras plenas iracundiae ac minarum, ſpecie quidem ut ea, quae jamdiu ſepoſuerat ad Riccardianum marmor explanandum, aliquando proferret; re autem ipſa ut quae a Corſinio didicerat, perpaucis additis aut mutatis, lectori aut occupato aut indiligenti venditaret pro ſuis. Atque id utrumque ſcriptorem conferenti luce clarius eſt. Quare mirari ſatis non poſſum hominis frontem, qui furti Corſinium inſimulet in eo loco, in quo ipſe cum re aliena, atque etiam cum telo eſt deprehenſus. Atque haec an. MDCCXLV. ſunt geſta, cum Faſti Attici anno ſuperiori lucem vidiſſent. Sed tamen res defenſionem apud multitudinem potuit habere uſque ad eum annum, quo Meurſii opera cum Lamii animadverſionibus vulgata ſunt ſimul uni-

verſa. Is fuit an. MDCCLXIII. Tum enim primum jejuna illa marmoris interpretatio, quam ante annos XXII. Lamius in I. operum volumen intulerat, lecta eſt pag. 258.: ad calcem vero ejus voluminis ſecundae Auctoris curae in eum lapidem, & quaſi retractatio quaedam ante dictorum edita eſt. Qua in mantiſſa bina extant indicia Corſinii cauſſam mire tuentia, alterum quod nihil hoc in loco proponatur, quod non ille in Faſtorum libro occupaverit; alterum quod mantiſſae characteres ab ejuſdem voluminis characteribus forma et figura longe abſunt, teſtanturque non niſi poſt annos multos quam liber fuerat impreſſus, diſtractis jam aut obſoletis formis illis prioribus, additam eſſe appendicem, de qua meminimus. Sed jam ſatis multa de homine meo quidem judicio paucis comparando, niſi regnum in litteris, quod Florentiae perdiu tenuit, malis interdum artibus & clarorum virorum vexatione confirmandum putaſſet (*). Quamvis in *Fa-*

(*) Hujus rei narrationem pluribus etiam verbis expoſitam vide in libello cujus eſt inſcriptio: *Paſſatempo Autunnale*, quo in libello

--- Si quis eſt qui dictum in ſe inclementius

Exi-

ſtis Atticis elaborare Corſinio maxime glorioſum fuerit, non minorem tamen laudem reportavit ex *Agoniſticis Diſſertationibus*, de quibus Ludovicus Muratorius, intelligens ſane judex, dicere ſolebat, poſſe eas per ſe ſolas aeternum nomen Auctori comparare. His Diſſertationibus oſtendere voluit Eduardus, quo tempore Graeci celebrare conſueverunt ludos Olympicos, Pythicos, Nemeaeos, & Iſthmiacos, quod tempus eatenus fuerat vel incompertum, vel ſaltem obſcurum. In hoc autem non mediocrem utilitatem chronologiae & hiſtoriae ſe allaturum putavit, quod iiſdem ludis ſcriptores uterentur ad notanda deſignandaque rerum geſtarum tempora. Ab Olympicis exordiens, qui ceteros omnes ſplendore & frequentia ſuperabant, breviter eos percurrit, quos ab Hercule primum inſtitutos Trojano bello deſiiſſe, moxque ab Iphito reſtitutos iterum intermiſſos fuiſſe ſcriptores narrant. Etenim illud caput eſſe videbatur, ut de Olympiade illa quaereret, qua Coroebus palmam accepit, & quae prima dicitur,

Existimevit eſſe, ſic exiſtimet
Reſponſum, non dictum eſſe, quia laeſit prior.

quod ab illa ceterarum Olympiadum ordo & ſeries incipiat. Hanc celebratam fuiſſe putat an. periodi Julianae MMMDCCCCXXXVIII. circiter ſolſtitium aeſtivum, plenilunii tempore, qui mos ſemper manſit non ſolum antiquioribus, quibus civiles Graecorum anni lunares erant, ſed recentioribus etiam, quibus ſolares anni a Romanis ad Graecos tranſierunt. Primus is erat anni menſis, in quem incidiſſent Olympici ludi. Quinque diebus eorum certamina abſolvebantur, inter quae curſus, quo uno certatum eſt ad Olympiadem uſque XVIII. primas tenebat. Neque in Aelide ſolum, ſed & in aliis Graeciae urbibus ſumma cum populi frequentia ac ſacrorum caeremonia Olympici celebrabantur; donec V. ineunte reparatae ſalutis ſaeculo, iidem cum Pyticis ſublati fuerunt. Pyticos primum inſtituit Apollo, eoſque jamdiu intermiſſos, confecto Criſſenſi bello, Olympiade XXXXVIII. Amphictyones revocarunt. Iidem Olympicorum inſtar pentaeterici erant; neque ſecundis annis aut quartis, ut Petavius & Dodwellus exiſtimarunt, ſed tertiis, hiſque exeuntibus circa Elaphebalionis men-

ſis finem, tum Delphis, tum in aliis Graeciae urbibus peragi conſueverunt. Proxime poſt Pythia Olympiade ſcilicet LIII. inſtaurata fuerunt Nemea, quorum origo repetitur a ſeptem Argivis ducibus, qui ad leniendum deſiderium pueruli Archemori a ſerpente occiſi funebres hoſce agones CCCCLXXV. annis ante Olympiadem primam prope Nemeaeum nemus inſtituerunt. At Nemeadem illam, ex qua veluti cardine ceterae inſequentes numerari coeperunt, in annum IV. Olympiadis LXXII. poſt Marathoniam pugnam incidiſſe ſatis probabiliter Eduardus affirmat. Nemeades aeſtivae aliae, aliae hibernae, omnes vero trietericae fuerunt; eaeque alternis annis ita peragebantur, ut hibernae quidem in medios ſecundos, aeſtivae vero in quartos ineuntes Olympiadum annos incurrerent. Cum Nemeis ludis quaedam erat Iſthmicis a Theſeo, ut fertur, conſtitutis ſimilitudo. Funebres erant ambo, ambo trieterici, & qui utrolibet in certamine viciſſent apio coronabantur. Iſthmici quoque alii erant aeſtivi, non tamen alii hiberni, ut quidem Dodwellus putabat, ſed verni. Cele-

brabantur illi primis Olympiadum annis Hecatombeone menſe, hi Thargelione, exeunte fere tertio Olympico anno. Sic definivit Corſinius tempora quatuor illuſtrium Graeciae ludorum, patefaciens obſcura & ignota vel ipſis chronologiae luminibus Scaligero, Petavio, & Dodwello, quorum auctoritate abreptus ipſe in primo Faſtorum Atticorum libro Pythiades ſecundis Olympicis annis conceſſerat. Agoniſticis hiſce Diſſertationibus, veluti faſtigium operis, idem adjecit ſeriem Hieronicarum alphabetico, ut dicitur, ordine diſpoſitam, & Dodwelliana longe uberiorem accuratioremque. Nam ſeptuaginta ſupra centum victores recenſuit, qui Dodwellum prorſus fugerant; fonteſque indicavit (in quo Dodwelli diligentia ſaepiſſime deſiderabatur) unde uniuſcujuſque victoris nomen, aut patria, aut aetas, aut certaminis genus, quo viciſſet, hauriebatur. Hoc opus vehementer adeo Auctori ſuo probatum erat, ut vir modeſtiſſimus in eo quodammodo gloriari videretur. Etenim, ut Attico ſcripſit Cicero, *ſua cuique ſponſa, ſuus cuique amor*. Quoniam autem tum in his Ago-

Agoniſticis Diſſertationibus, tum in Faſtis ſcribendis ſaepe uſus eſt Corſinius ſubſidio marmoreorum monumentorum, in quibus multae occurrunt notae, quarum neque facilis, neque prompta fuit explicatio, ſeparatum opus a ſe expectare putavit Graecarum antiquitatum ſtudioſos, quo in opere non ſolum ex marmoreis, ſed etiam ex aereis Graecorum tabulis varias eorum notas colligeret, haſque explicaret atque illuſtraret. Quae dum animo verſaret, ſcriptionique jam manum admoviſſet, ecce in lucem prodit Scipionis Maffeii liber *de Graecorum ſiglis lapidariis*, in quo trecenta fere vocum compendia ingenioſe feliciterque enodantur. Cum Eduardus ab amico librum accepiſſet, ei epiſtolam ſcripſit (relata haec fuit in IV. volumen diarii Litteratorum Florentiae editi) in qua ſummas tribuit Maffejo laudes, quod primus ex omnibus materiem hanc ſeorſim tractandam ſuſceperit, magnam in illam conferens eruditionis copiam, & acre prudenſque judicium. Non propterea tamen ſpartam, quam ſibi ſumpſerat, ille deſeruit, quia, ut ait Auſonius, *is erat campus, in*

quo alius alio plura invenire poteſt, *nemo omnia*. Et plura certe Corſinius invenit, cum mille fere notas, aut numerorum vocumque compendia uno volumine colligere potuerit & explicare illo ſuo acutiſſimo ingenio, cui inquirenti & contemplanti omnia occurrere ſe ſeque oſtendere videbantur. Ut vero delectatione aliqua alliceret adoleſcentes, quibus inſuavis fortaſſe & aſperior videri poterat ſiglarum inveſtigatio, poſtquam multa eruditiſſime praefatus eſſet de notarum origine, vi, utilitateque, opportune ſparſit in toto libro non pauca ad hiſtoriam, geographiam, chronologiam, ac mythologiam ſpectantia. Ex quibus aliiſque diſciplinis uberiora etiam hauſit, ut ornaret Diſſertationes ſex, quas, abſoluta univerſa notarum ſerie, confecit, ut eſſent operis corollarium. Explicant illae inſignes quaſdam Chriſtianae & profanae antiquitatis inſcriptiones, ſicque explicant, ut facile exiſtimari queat, eum qui non comprehenderit rerum plurimarum ſcientiam, quique judicio certo & ſubtili non ſit praeditus, in his antiquitatis ſtudiis ſatis callide verſari & perite non poſſe. Inſcripſit

Corſinius hoc ſuum opus: *Notae Graecorum; ſive vocum & numerorum compendia, quae in aereis atque marmoreis Graecorum tabulis obſervantur*, dedicavitque Cardinali Quirinio, a quo pecuniam ad illud ipſum evulgandum dono accepit. Etenim his temporibus haud illi magna res erat, quae vix ſatis eſſe videbatur ad vitam ſuſtentandam, neceſſarioſque libros emendos. Praepoſitus an. MDCCXXXV. dialecticae ſcholae nihil aliud annui ſtipendii obtinuit niſi octingentos denarios. Hoc eſſe fatum videtur nobiliſſimae quidem diſciplinae, ut pote quae per omnes diſciplinas manat ac funditur, ut qui illam profitentur mediocribus afficiantur praemiis. Vel ipſi Graeci, quamvis eſſent aequi liberalium artium aeſtimatores, minam eſſe voluerunt mercedem Dialecticorum. Commodiori in ſtatu res Corſinii eſſe coeperunt cum traductus fuit (id accidit an. MDCCXLVI.) ad metaphyſicam atque ethicam docendam. Tunc enim ipſius ſtipendium erat bis millenorum & amplius denariorum, poſteaque illud ipſum ad quatuor mille ducentos quinquaginta uſque pervenit; cum proſperae res multae conſe-

cutae fuiſſent. Satis ſuperque id erat homini temperato ad vitam beatiſſimam; videbaturque ſibi ſuperare Craſſum divitiis. Quantum vero ſorte ſua contentus, quantiſque amoris vinculis Academiae Piſanae obſtrictus eſſet, ex eo conjici poteſt, quod mortuo Ludovico Muratorio Mutinenſis Ducis bibliothecae praefecto in illius locum ſuccedere recuſavit, quamvis liberaliſſime ipſius Ducis verbis invitaretur. Quo cognito ab Emmanuele Comite Richecourtio, qui Franciſci I. Caeſaris nomine res Etruriae adminiſtrabat, ipſe ſingularibus verbis ei gratias agendas cenſuit, eidemque prolixe de ſua non modo, ſed & Caeſaris voluntate pollicitus eſt. Id non potuit Corſinio non ſumme eſſe jucundum; utque viro de ſe & de Sodalitate ſua bene ſemper merito gratum ſe oſtenderet dedicavit illi Plutarchi opus *de Placitis Philoſophorum* a ſe Latinum factum, vitaque Scriptoris, ſcholiis, & diſſertationibus ornatum. Cauſſam ſuſcipiendae novae interpretationis eidem dederunt naevi quidam, quibus maculantur Budaei, Xylandri, & Cruſerii hominum ceteroquin doctiſſimorum interpretatio-

nes; ſuſceptam vero ita perfecit, ut verbum pro verbo reddiderit, multaque etiam attulerit de ſuo, quae ſunt diverſo charactere notata, ne attenuata nimis diligentia perſpicuitati officeret, & ne res ipſa omni Latinae orationis dignitate cultuque deſtituta ſordeſceret. In limine operis Plutarchi vitam ex illius aliorumque veterum ſcriptis a ſe diligentiſſime collectam, & ſeriem philoſophorum, quorum placita a Plutarcho proferuntur, aetatemque, in qua vixerunt, expoſuit. Singulis vero operis capitibus brevia adjecit commentaria, quae aut mutilos & hiulcos Plutarchi locos ſupplent, aut depravatos emendant, aut obſcuros atque perplexos, opportune allatis aliorum philoſophorum ſententiis, illuſtrant. Siquando autem longioris eſſe orationis putavit Corſinius lucem aliquam afferre rebus obſcuriſſimis, cum non Heraclitus ſolum, ſed & quiſque fere antiquitatis philoſophorum, quorum ſententias coarctavit & peranguſte retulit Plutarchus, Σκοτεινὸς cognomen mereatur, hujuſmodi illuſtrationes ad finem libri rejecit. Quo in loco voluit etiam recen-

ſere illuſtriores ſententias, quae propriae dicuntur recentiorum philoſophorum, cum earum tamen manifeſta appareant veſtigia in Plutarchi libro, quod profecto ad veterum gloriam amplificandam plurimum valet. Tales ſunt attractionis leges, vireſque, ut dicuntur, centripeta & centrifuga, Charteſiani vortices, lunae phaſes, maculae, quodque haec ſit terra multarum urbium & montium, converſio ſolis, planetarum, ſiderumque certa quadam celeritate ac periodo circa axes ſuos, natura, coſtans motus, reverſioque cometarum, telluris motus, quodque ex eo cauſſa maris aeſtus repetenda ſit, μεθεω'ρων explicatio, aliaque hujuſmodi multa tum ad corporum, tum ad animi naturam pertinentia. Profecto nihil dulcius erat Corſinio quam per abdita remotioris antiquitatis permeare, & inde nova & inexpectata deferre, quae hominibus contemplanda bono in lumine exhiberet. Nam, ut Ariſtoteles inquit, ſuo quiſque artifex ſtudio atque opera impenſius delectatur. Cum igitur accepiſſet ab Antonio Franciſco Gorio amiciſſimo ſuo graphidem eximii cujuſdam

Digitized by Google

anaglyphi, quod Romae viſitur in Aedibus Farneſianis, non magnopere hortandus fuit, ut in illo exponendo elaboraret. Exhibet hoc ſuperiori in parte Herculem cum Europa, Hebe, Satyriſque quieti, voluptatique poſt exantlatos labores indulgentem, in inferiori vero tripodem Apollini ſacrum, Argivae Junonis Sacerdotem, atque alatam Virginem, & Herculem demum ipſum ſe ſe expiantem, ut purus ad Deorum concilium aſcenderet. Hinc & illinc anaglyphum ornant binae columnae cum Graeca inſcriptione, quae multis verſuum decadibus Herculis geſta commemorat: in ſupremo tandem anaglyphi loco octodecim hexametra carmina exculpta ſunt, quibus Herculis labores & certamina declarantur. Praeclariſſimi hujus monumenti explicationem Eduardus libello, quem ad Scipionem Maffejum inſtituit, complexus eſt; ex eoque judicari poteſt, vehemens aſſiduumque ſtudium ipſi copiam eruditionis dediſſe, naturam vero tribuiſſe ingenium ad conjiciendum divinandumque factum. Et ſane divinationis cujuſdam videtur, illum potuiſſe laceras ac depravatas

multorum verſuum lacinias feliciſſime corrigere atque ſupplere. Magnae antiquitatis argumentum praebere ſuſpicatus eſt Doricam dialectum, qua exarata eſt inſcriptio, neque ipſe affirmare dubitat opus paullo poſt Alexandri tempora, antequam Q. Flaminius priſtinam Graecis libertatem redderet, perfectum fuiſſe. Sed aliter alii ſentiunt (1) quibus nunc plerique aſſentiri videntur. Hoc ipſo ferme tempore Corſinius ejuſdem Gorii poſtulationibus Diſſertationes quatuor conceſſit, quae impreſſae ſunt ab illo in VI. volumine *Symbolarum litterariarum*. Extricat prima epigraphen ſculptam in labro interiori cujuſdam crateris ahenei Mithridatis Eupatoris (2), qui crater in muſeo Capitolino

(1) Vide Winkelman. *Monumenti antichi inediti Trat. Prelim.* p. LXXIX. Idem quaedam alia notat in quibus deceptum fuiſſe Corſinium arbitratur p. 89.

(2) Sic interpretatur Corſinius mire involutam inſcriptionem: *Regis Mithridatis Eupatoris Regni anno* 54. *Eupatoriſtis Gymnaſii* (hoc eſt civibus Eupatoriae, qui in Gymnaſio certarunt) *ſenectutem conſervat*, quod erat ad laudem vini, quo plenus crater victori concedebatur. Alii aliter interpretanda extrema praeſertim inſcriptionis verba exiſtimarunt, quorum ſententiam plerique nunc ſequuntur.

aſſervatur. Secunda patefacit obſcuros ignoratoſque dies natalem & ſupremum Platonis, qua occaſione aliorum etiam virorum illuſtrium Archytae, Philolai, Iſocratis, Lyſiae, Dionis, & Socratis aetates & tempora perſequitur. Explicat tertia adverſam partem numiſmatis Antonini Caeſaris, in qua Prometheus humanum corpus ex luto fingens, & Pallas capiti mentem, papilionis imagine expreſſam, inſerens conſpiciuntur. Curioſa ſunt quae excogitavit Corſinius, ut perſuaderet hominibus morem repraeſentandi humanam mentem ſub papilionis imagine non ex miris hujus volucris affectionibus & natura, non ex ipſa animi immortalitate, circuitu, aut tranſmigratione, non ex Chaldaicae, Graecaeque ſapientiae fontibus, non ex arcanis amoris myſteriis, ſed ex ſola artificum imperitia profluxiſſe. Cum enim unum idemque nomen *pſyches* papilionem & animum deſignet, rudis artifex, qui primus animum exprimendum ſuſcepit, non putavit hujus ideam poſſe melius excitari, quam objecta imagine illius rei, quacum is commune nomen habet. Quarta Diſſertatio demum in

eo verſatur, ut oſtendat mentitam & falſam eſſe Latinam quamdam inſcriptionem, quae Piſis viſitur in Scortianis aedibus. Summi labores, quos Corſinius impendit in conficiendis, quos retulimus, libris, magna compenſati fuerunt gloria, ut unus e multis, qui illuſtrandae Graecae praeſertim antiquitati ſe ſe dederunt, excellere judicaretur. Cujus de praeſtanti in hoc rerum genere doctrina tanta etiam judicia fecit Scipio Maffejus, quanta de nullo; cujus teſtimonii auctoritas maxima reputari debet non ſolum quod ab homine prudentiſſimo proficiſcitur, ſed etiam quia figulus invidens figulo, faber fabro, ut eſt Heſiodi dictum, alterius laudi & gloriae minime favere ſoleat. Ex mutua opinione doctrinae, ſimilitudineque ſtudiorum orta eſt inter eos jucundiſſima amicitia, cujus tanta vis fuit, ut Corſinius aeſtate an. MDCCLI. quamvis non bene valens, Veronam venerit aliquot menſes commoraturus apud amicum. Quo tempore inter eos fuit familiariſſima ſocietas, & communicatio ſtudiorum. Dono accepit Corſinius a Maffejo tercentum fere Graecas inſcriptiones (has Edmundus Chi-

ſhullius collegerat, & ſecundae *Aſiaticarum antiquitatum* parti reſervaverat) ea conditione, ut eas Latine redderet atque illuſtraret. Satisfecit ille aliqua ex parte promiſſo ſuo, cum anno inſequenti edidiſſet eas inſcriptiones, quae ad Athenas ſpectabant; eaſdemque iterum cum commentariis edidit quadriennio poſt, ut eſſent ornamento quarto Faſtorum volumini. Nono menſe poſtquam in Etruriam rediit Eduardus, moritur Alexander Politus, quocum ille ita vixit, ut quem pauci ferre poterant propter difficillimam naturam, hujus ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benevolentiam. Mortuo autem Polito neque inquirendum, neque conſultandum fuit quis illi ſucceſſor in Academia Piſana daretur, cum omnium oculi ſtatim in Corſinium conjecti fuiſſent. Ita hic exeunte anno MDCCLII. poſtquam octodecim fere annos philoſophiam tradidiſſet, munus docendi humaniores litteras libentiſſimo animo ſuſcepit. Initio propoſuit ſibi (nam muneris ratio, & adoleſcentium utilitas ab eo poſtulabant, ut cum Graecis Latina conjungeret) explanare Plutarchi pa-

rallelas Graecorum, Romanorumque vitas; ut inde occaſionem ſumeret utriuſque populi leges inter ſe conferendi. Memoriter dicebat e ſuperiori loco, quod ad praeceptoris & ſcholae dignitatem plurimum tum conferre putabatur; & quae tradebat inſignita erant luminibus ingenii, & conſperſa eruditionis ſententiarumque flore. Genus dicendi erat quietum & lene, purum & elegans, ut maxime teneret eos qui audiebant, & non ſolum delectaret, ſed etiam ſine ſatietate delectaret. Nulli diſcipulorum aditum, ſermonem, congreſſumque ſuum denegabat, quin immo eos bis in hebdomada domum ſuam invitabat, ut in ſtudiis exerceret Graecarum, Romanarumque antiquitatum. Domi etiam tradebat metaphyſicam, quo onere non placuit Academiae Moderatoribus illum liberare niſi anno MDCCLIV. quo quidem tempore Venetiis evulgavit ſuas *Inſtitutiones Metaphyſicas*. In his adornandis illud unum propoſitum ſibi fuit, ut in animis adoleſcentium rectas de animae immortalitate, arbitrii libertate, Dei exiſtentia, ceteriſque naturalis theologiae dogmatibus notiones insereret,

quibus in gravioribus aliis diſciplinis veluti praeſidiis uti poſſent, quibuſque caverent a peſte quadam hominum non tam religioni, quam reipublicae infeſta, quae rationem pervertendo ubique venenatas opiniones diſſeminare non veretur. Subaccuſent aliqui, ſi lubet, Corſinium, quod nimis parcus fuerit in pertractandis quibuſdam rebus, quae in ea, in qua nunc ſumus, luce ignorari minime poſſe videntur; omnes profecto uno ore fateri debent tales eſſe haſce Inſtitutiones, ut cupidi metaphyſicae nullibi poſſint refrigerari ſalubrius atque jucundius. Poſtremum hoc operum fuit, quae Corſinius Philoſophiae dicavit, niſi dicere velimus, etiam cum minime videretur tum maxime illum philoſophari conſueviſſe. Quod declarant ejus Latinae orationes ad Academicos Piſanos refertae Philoſophorum ſententiis, ſaluberrima praecepta, quibus adoleſcentes ad omne officii munus inſtruebat, doctiſſimorum Philoſophorum familiaritates, quibus ſemper floruit, & ars illa diſtinguendi vera a falſis, colligendi ſparſa, eaque inter ſe conferendi, diligenter examinandi omnium rerum verbo-

rumque pondera, nihilque aſſerendi ſine evidenti ratione, aut ſaltem probabili conjectura, in qua arte quantum inter omnes unus excelleret, praeſertim oſtendebat, cum in vetuſtatis monumenta inquireret. Hujus inquiſitionis uber ſane fructus fuit Diſſertatio illa *de Minniſari, aliorumque Armeniae Regum nummis, & Arſacidarum epocha*, quam idem in lucem extulit an. MDCCLIV. Difficultatis maximae fuit oſtendere Minniſari nummum, quem praecipue illuſtrandum Corſinius ſuſceperat, ad illum ſpectare Maniſarum Armeniae & Meſopotamiae Regem, de quo Dio Caſſius in libro Romanae hiſtoriae LXVIII. mentionem fecit, & Arſacidarum epocham non in Parthiae ſolum, ſed etiam in Armeniae regum nummis inſcriptam fuiſſe, eamque ab anno Urbis conditae DXXV. initium duxiſſe. Antea quidem doctiſſimorum virorum Uſſerii, Petavii, Noriſii, Spanhemii, Vaillantii, & Froelichii ſententia fuerat, ſerius Arſacidarum imperium incepiſſe, adverſus quam ſententiam Eduardus ita pugnavit, ut veritas non minus quam modeſtia eluxerit. Quoniam vero in antiquitatis ſtudio

multae res inter ſe ita nexae & jugatae ſunt, ut, inventa una, aliae, quae prius latebant, ſe ſe contemplandas offerant, eam ob rem Corſinius in Minniſari regis nummo explicando varia ſcriptorum loca corrigere & ſupplere, verum Darii genus exponere, Tiridatem alterum, Arſamem, alioſque Armeniae Reges Vaillantio prorſus incognitos proferre potuit. Res in hac Diſſertatione contentae, non ſine laude oppugnatae fuerunt a Jeſuitis Froelichio & Zacharia, reſponditque ad ea, quae objecta fuerunt, ſine iracundia Corſinius. Etenim veritatis unice amans alios a ſe diſſentire haud iniquo ferebat animo, ſemperque deteſtatus eſt eos, qui ſuis ſententiis quaſi addicti & conſecrati etiam ea, quae plane probare non poſſent, conſtantiae, non veritatis cauſſa defenderent. Propugnationem quoque Corſinii libello (*) ſuſcepit ejus convictor & ſodalis

(*) Huic titulus eſt: *Lettere critiche di un Paſtore Arcade ad un Accademico Etruſco nelle quali ſi ſciolgono le difficoltà fatte contro un' opera del Reverendiſſimo Padre Corſini nel Tom. IX. della Storia letteraria d' Italia &c. in Piſa 1757. in 8.*

Carolus Antoniolius, qui quidem non mediocria adjumenta illi praebuit, cum plurimum valeret in omni genere ſtudiorum, quae ipſe excolebat. Magni quoque Academiae fuit Antoniolii opera in Graecis litteris tradendis toto illo ſexennio, quo Corſinius, coactus capeſſere ſummum Sodalitatis ſuae magiſtratum, bona Principis cum venia, & ſine ulla ſtipendiorum jactura Piſis abſuit. Hic Romam venit menſe Aprili an. MDCCLIV. ardens deſiderio indicia veteris memoriae, quibus mirabiliter urbs illa abundat (quacumque enim quis ingreditur in aliquam hiſtoriam veſtigium ponit) cognoſcendi. Sed raro ei poteſtas dabatur huic ſuo deſiderio ſatisfaciendi, cum podagrae doloribus ſaepiſſime vexaretur, & munus ſuum diligentiſſime exequi vellet. Quanta vero prudentia ac dexteritate fuerit in tractandis negotiis, quanta aequitate in conſtituendis, temperandiſque, ſi res poſcebat, conſtitutis jam legibus, quanta humanitate erga omnes, quantaque vigilantia ac providentia in conſulendo rebus praeſentibus, praecavendoque futuras, ſatis praedicari non poteſt. Cum

autem

autem nihil ſine aliorum conſilio agere ei mos eſſet, & facilitate ſumma uteretur in ſuos adjutores procuratoreſque, inde nonnulli materiem ſumpſerunt falſae criminationis, quod ad aliorum magis quam ad ſuum arbitrium res Familiae adminiſtraret. Omnino totum ſe tradidit Eduardus Sodalitati, totamque ſic rexit, ut oblitus commodorum ſuorum omnibus proſpexerit. Non eſt credibile quanto animi dolore angeretur, ſi aliquis ſuorum in crimen vocabatur. Horrebat enim homo innocentiſſimus vel ipſam peccati ſuſpicionem. Sed non propterea ſontibus iraſcebatur, hoſque clementia magis atque manſuetudine, quam animadverſione & caſtigatione ad frugem revocare ſtudebat. Cum vero ſeveritatem, ſine qua reſpublica adminiſtrari non poteſt, adhibere cogebatur, ſimilis, ut praeclare admonet Cicero, legum erat, quae ad puniendum non iracundia, ſed aequitate ducuntur. In his occupationibus muneris ſui, ne plane ceſſare a ſcribendo videretur, extare voluit explicationem duarum Graecarum inſcriptionum, quae muſeum ornant Bernardi Nanii Veneti Senatoris.

Quam feliciter id praeſtiterit, perſcrutata prius litterarum priſcarum, quibus illae conſcriptae ſunt, forma atque vi, facile judicabunt ii, qui ſunt harum deliciarum amatores. Tentaverat eamdem rem Franciſcus Zanettus, ſed longiſſime aberravit a vero ejus interpretatio. Ipſe Eduardus cum Anconae eſſet ineunte anno MDCCLVI. eoque praeſente cum multis aliis detecta fuiſſent atque agnita corpora Sanctorum Cyriaci, Marcellini & Liberii, quos ſingulari obſequio eadem civitas veneratur, incitatus fuit, ut aliquid laboris impertiret illorum Sanctorum illuſtrandae hiſtoriae, definiendoque praeſertim tempori, quo tranſlata eorumdem corpora fuerunt in eum, ubi nunc jacent, locum, & quo Anconae coli coeperunt. Haec Corſinius, edito commentariolo, accidiſſe oſtendit exeunte ſaeculo XI., & ex ipſis antiquitatis monumentis, quibus ſententiam ſuam confirmavit, quatuor Anconitanorum Epiſcoporum nomina in lucem protulit, quae uſque ad id tempus fuerant incognita. Perpauca in hoc commentariolo attigit de S. Liberio, quod ejus hiſtoriam involutam te-

nebris & fabulis exiſtimabat. Mox cum ei aliquid luminis affulſiſſet, & monumentorum ope, & mirabili illa ſua conjiciendi arte patefacere potuit Liberium fuiſſe unum ex ſociis S. Gaudentii Abſarenſis Epiſcopi, qui circiter an. MXXXX. Anconam venit, ſolitariam vitam acturus in ſuburbano monaſterio Portus Novi. Harum rerum inventio multis laudibus celebrata fuit a Scriptoribus annalium Camaldulenſium (*): pergrata quoque fuit Benedicto XIV. pro ejus ſingulari ſtudio in Anconitanam Eccleſiam. Hic cum ſaepe ad congreſſum colloquiumque ſuum invitaret Eduardum, quod ejus ſummum ingenium, ſuaviſſimos mores atque eximiam probitatem & noſſet & diligeret, ſaepe quoque ipſum hortabatur, ut ea pergeret mandare litteris, quae abdita Chriſtianae antiquitatis patefacerent. Sed fuerunt juſtae cauſſae quare Corſinius amantiſſimis Pontificis M. conſiliis minime obtemperavit; & quidquid ſubciſivorum temporum incurrebat, quae perire non patiebatur, libentiſſime concede-

(*) Vid. Tom. III.

bat ſuis priſtinis ſtudiis. Ruſticabar cum eo in Tuſculano, quando epiſtolam ſcripſit ad Paullum Mariam Paciaudium, in qua plura de Gotarzis eximio nummo, ejuſque, Bardanis, & Artabani Parthiae Regum hiſtoria perſecutus eſt, & pro jure noſtrae amicitiae ab ipſo poſtulabam, ut in otio, quod raro dabatur, & peroptato illi dabatur, ceſſaret a libris & a ſtilo. Verum cum is eſſet ut ſine his ſtudiis vitam inſuavem duceret, dicere ſolebat hujuſmodi ſcriptiones non premere, ſed relaxare animum. Et relaxatione certe aliqua ille indigebat, cui grave adeo erat, quod multi appetunt, ceteros regendi munus, ut onus Aetna majus ſibi ſuſtinere videretur. Poterat quidem illi eſſe levamento recordatio multorum benefactorum, inter quae maximum illud reputari debet, quod eo ſexennio, quo ad Sodalitatis gubernaculum ſedit, viginti domus, ſive collegia conſtituta ſunt. Interim advenit tempus, quo magiſtratu ſe abdicare, & extremos auctoritatis ſuae fructus capere debebat in provehendo digno viro, qui ſibi ſuccederet. Verum minime illi contigit, ut

ſunt ancipites variique caſus comitiorum, quem optabat, exitus. Peractis comitiis, ſine mora rediit ad Academiam Piſanam & ad illam quietam in rerum contemplatione & cognitione maxime poſitam degendae vitae rationem, qua qui frueretur, negabat ei aliquid deeſſe ad beate vivendum. Liber de Praefectis Urbis ei erat in manibus; Graecas inſcriptiones in Aſia repertas, quas, ut ſupra retulimus, a Scipione Maffejo dono acceperat, quaſque jampridem Latinas fecerat, copioſis commentariis explicabat; aderat diſcipulis ſuis; veniebat frequens in Academiam, afferebat res multum & diu cogitatas, faciebatque ſibi audientiam hominis erudita, compta & mitis oratio. Idem efflagitatu & coactu amicorum inſtituta hoc tempore opera abrupit, ut explicationem lucubraret cujuſdam nummi recens in Auſtria reperti, in quo erat nomen & imago Sulpiciae Dryantillae Auguſtae. Conjecit ille feminam hanc libertam fuiſſe, libertatemque accepiſſe a Sulpicio quodam, ab eoque in Sulpiciam gentem receptam; nupſiſſe demum Carino ſceleſtiſſimo Imperatori. Haec porro incerta.

Illud unum ſine ulla dubitatione colligi poſſe videtur ex nummi fabrica, characterum forma, feminaeque ornatu, illum ipſum nummum cuſum fuiſſe inter Elagabali & Diocletiani imperium, proptereaque Dryantillam ad aliquem Imperatorum, qui illo intervallo regnarunt, pertinere. Neque his contentus Eduardus voluit etiam excutere hiſtoricorum & rei nummariae interpretum mire inter ſe diſſidentes opiniones de Aureliani ac Vaballathi imperio atque aetate, ac poſtremo ſuam ſententiam proferre. Fuit haec, Aurelianum exeunte Julio, vel ineunte Auguſto anno CCLXX. imperium ſuſcepiſſe, eaque multis & gravibus confirmatur argumentis. Ad ea vero diluenda, quae contra dici poterant ex illorum ſententia, qui praeſertim niti videbantur lege quadam data a Claudio VII. Kal. Novembris Antiochiano & Orfito Conſulibus, ut ſerius Aurelianum inchoaſſe imperium perſuaderent, diſtinguit Conſules ordinarios a ſuffectis. Hac autem conſtabilita diſtinctione, quae maxime apta erat non ſolum ad id, quod requirebat, ſed etiam ad expediendos alios, quos vel ipſe Scaliger in-

diſſolubiles in Chronologia exiſtimaverat nodos, concludit eamdem legem editam fuiſſe anno CCLXIX. vel CCLXVIII. quando Antiochianus & Orfitus ſuffecti Conſules erant, minime vero anno CCLXX. iiſdem Conſulibus ordinariis. Nec minor difficultas erat oſtendere, qui fieri potuerit, ut Aurelianus ad VII. Imperii annum perveniſſe dicatur, & explicare locum Euſebii, qui tradit in ejuſdem tempora incidiſſe III. Antiochenam Synodum: exploratnm eſt enim hanc Synodum anno CCLXIX. incoeptam & abſolutam fuiſſe. Feliciter haec praeſtitit Corſinius, cum probaſſet Aurelianum anno & ultra antequam a legionibus poſt mortem Claudii Imperator fieret, ab ipſo Claudio deſtinatum ſibi fuiſſe ſucceſſorem, adeoque ampla poteſtate donatum, ut ab hoc tempore nonnulli ejus Imperii initium ſumere potuerint. Quae vero de Vaballatho diſſeruit Corſinius haec ferme ſunt. Illum Zenobia procreavit ex Athena priori viro, ejuſdemque nomine ab anno CCLXXVI. uſque dum Claudius in Gothicum bellum unice intentus vixit, Orientis imperium te-

nuit. Ex quo factum eſt, ut quae hoc tempore cuſa ſunt Vaballathi numiſmata, *Imperatorem Caeſarem Auguſtum* illum nominent. Poſtquam vero ille deſciviſſet a matre, ut Aureliano adhaereret, huic quidem conjunctus in nummis repraeſentari voluit, minime vero paludamento, radiata corona, ſplendidoque Auguſti nomine decoratus, ſolo Imperatoris contentus. Praetereo alia multa ſcitu digniſſima in hac Diſſertatione contenta, ne, cum nimis longus in recenſendis ſcriptis operibus fuerim, videar oblitus conſuetudinis & inſtituti mei. Hujus libelli cura liberatus Corſinius totus in eo fuit, ut abſolveret *ſeriem Praefectorum Urbis ab Urbe condita ad annum uſque* MCCCLIII. *ſive a Chriſto nato* DC. Etenim poſteriora tempora minime inquirenda putavit, quibus, penitus fere exſtincto Urbanae Praefecturae ſplendore ac dignitate, nonniſi tenue nomen, ac leviſſima priſtinae majeſtatis umbra ſuperfuit; ex quo fiebat, ut nihil inde lucis ſacra & profana ſperare poſſet hiſtoria, cum contra uberrimam ſplendidiſſimamque utraque acciperet ex veterum Praefectorum ſerie, ho-

rumque aetate rite conſtituta. Ut vero non utilitate ſolum, ſed etiam jucunditate lectores invitaret Corſinius, operi varia opportune admiſcuit, quae marmora & ſcriptores, quorum teſtimoniis ubique fere utitur, corrigunt & illuſtrant, interpretumque falſas opiniones atque errores emendant. Non ego ſum neſcius multos anteceſſiſſe Corſinium in hujuſmodi pertractando argumento; ex quibus omnibus, ac praeſertim Jacobo Gothofredo ac Tillemontio plurima in rem ſuam tranſtulit. Sed ii exiguis finibus operam ſuam continuerunt, ſi unum excipias Felicem Contelorium, qui contextam a Panvinio Praefectorum ſeriem ad annum uſque MDCXXXI. traduxit. Tale tamen non fuit Contelorii opus, quin eadem de re aliquid politius, copioſius, perfectiuſque proferri a Corſinio potuerit. Et protuliſſe certe ipſum oportet, cum magna ſuorum laborum praeconia ab intelligentibus viris reportaverit. Mirari hi tantummodo viſi ſunt quod aut is ignoraverit hac ipſa in re plurimum quoque elaboraſſe Almeloveenium, aut quod hujus ſcripta conſulere praetermiſerit. Id profecto

ſi praeſtitiſſet abundantius & copioſius propoſitae ſibi rei ſatisfacere potuiſſet, neque poſtea ventoſiſſimi homines triſtem ſuſtinuiſſent notam calumniatorum, qui nullo in pretio ob pauca quaedam a Corſinio praetermiſſa hujus opus habendum inflatis buccis clamitarunt. Ne hi verboſis ſibi famam adquirerent ſtrophis vel apud imperitam multitudinem, factum eſt diligentia Cajetani Marinii, qui librum (*) Bononiae an. MDCCLXXII. edidit, quo non ſolum eorum obſtitit injuriis, verum etiam nova a ſe inſcriptionum ope detecta Praefectorum Urbis nomina in lucem protulit. Sed ad Corſinium revertor, qui dum ſine intermiſſione obſequebatur ſtudiis ſuis & adoleſcentium utilitati, oblitus videbatur ſe jam ſenem factum (quando enim typis mandavit librum de Praefectis Urbanis ſexageſimum primum aetatis annum agebat) & infirma aegraque valetudine eſſe. Sed ac-

(*) Hujus eſt inſcriptio: *Difeſa per la ſerie de' Prefetti di Roma del Ch. P. Corſini contro la cenſura fattale nelle oſſervazioni ſul Giornale Piſano, in cui la detta ſerie ſi ſuppliſce anche in aſſai luoghi e ſi emenda. In Bologna a S. Tommaſo d' Aquino* in 4. Vide Piſanas Ephemerides vol. VIII. p. 173.

cidit miſerabilis caſus, qui repente ipſi omnem ſpem non ſolum litteris, ſed etiam naturae vivendi praecidit. Erat haec conſuetudo Academiae Piſanae, ut qui humaniores litteras profitebantur, Kalendis Novembris, quo tempore inſtaurari ſtudia ſolebant, Latinam orationem haberent ad vehementius inflammandam cupidam doctrinarum juventutem. Dicebat eo ipſo die Eduardus (vertebat tunc annus tertius ſupra ſexageſimum hujus ſaeculi) de viris, qui & ſcriptis editis, inventiſque rebus in Academia maxime floruerunt, eaque erat oratio, ut nunquam is dixiſſe melius judicaretur. Cum eo perveniſſet, ut exultaret in immenſo Galilaei laudum campo, repente apoplexis ipſum perculit, ac ſemivivum reliquit. Dolore hujus caſus oſtenſum eſt quantum ille Academiae eſſet acceptus. Aegre domum deductus, ibi quatriduo cum morte conflictatus eſt. Quinto die, multis adhibitis remediis, levari coepit, ac praeter ſpem paullatim convaluit. Ut ardenter deſideraret priſtinas recuperare vires, efficiebat ille ſuus ſingularis amor in Academiam, cui majus ſe non poſſe munus aſ-

ferre videbat, quam ſi inſtitutum juſſu Principis biennio fere ante opus de ejuſdem Academiae ortu, progreſſu ac vicibus ad umbilicum perduceret. Plurima collegerat atque vulgaverat ad hanc hiſtoriam pertinentia vir diligentiſſimus Stephanus Maria Fabruccius Juris civilis in eadem Academia doctor, quae quidem ampla & bella materies eſſe poterant ad novum aedificandum opus. Hoc igitur ſubſidio inſtructus Eduardus, alacer ſe ſe ad rem accinxit. Et primo quidem illuſtrium Italicorum Gymnaſiorum originem ſubtexuit, differenſque quatuor prioribus capitibus de prima Gymnaſii Piſani inſtitutione, neque ab XI. neque a XIV. Chriſti ſaeculo, ut multi ſcripſerunt, ſed ab ineunte XIII. vel exeunte XII. illam repetendam eſſe exiſtimavit. Ex hoc tempore ad annum uſque MCCCXXXIX., quo anno Fabruccius contendit coepiſſe Academiam Piſanam, hanc ſi nullam dicere nolumus, minimam certe fuiſſe oportet. Conſecutae deinceps vices multae, ut ipſa modo langueſcere, modo ad interitum properare, vires vitamque modo recuperare, ac ſaepe etiam

veluti extorris ſedem mutare viſa fuerit. Quae omnia octo conſequentibus capitibus perſecutus eſt Eduardus. Cum vero Academiae res, imperante Coſmo I. ceteriſque non ſolum Mediceis, ſed etiam Lotharingis Principibus, feliciſſime proceſſiſſent, quibus ab his beneficiis, ſplendore atque gloria aucta, quibuſque gubernata legibus conſuetudinibuſque, variis interdum pro temporum varietate, expoſuit in quatuordecim capitibus, quorum nonnulla adumbrata magis quam deſcripta videntur. Haec omnia primam operis partem conficere debebant, cum reſervaſſet alteram, quam tamen minime attigit, Doctorum vitis. Dum haec ſcripta legebam videbatur mihi poſſe ab Auctore deſiderari major rerum copia, magiſque apta ac preſſa oratio. Ineſt quidem in omnibus Corſinii ſcriptis luxuries quaedam, quae, ut in herbis ruſtici ſolent, depaſcenda erat; quod ſi eſt vitium in omni oratione, maximum tamen eſt in hiſtoria, in qua pura & illuſtris brevitas expetitur. Eodem tempore, quo Eduardus in Academiae hiſtoriam incumbebat, ne plane ſuperioris aetatis ſtudia de-

ſeruiſſe videretur, epiſtolam ſcripſit ad amicum & collegam ſuum Franciſcum Albizium, in qua *de Auſonii Burdigalenſi conſulatu* egit. Deſperaverant vel ipſi chronologiae Patres Panvinius & Pagius computationem quamdam annorum ab Auſonio factam in epigrammate ad Proculum, in quo ab Urbe condita ad conſulatum ſuum MCXVIII. annos enumeravit, conciliari poſſe cum Varroniana epocha, ideoque novam excogitarunt epocham XIII. annis Varroniana poſteriorem, qua non ſolum Auſonium, ſed etiam Arnobium uſos fuiſſe ſcripſerunt. Horum aliorumque Auſonii interpretum errorem ut corrigeret Eduardus, probare debuit Auſonium non Romanum modo, ſed & Burdigalenſem geſſiſſe conſulatum, & Romanorum & Burdigalenſium Conſulum faſtos conſcripſiſſe. Qua diſtinctione conſtabilita, facile fuit oſtendere eumdem Auſonium in epigrammate, quod ad Heſperium filium miſit cum Romanis faſtis de Romano a ſe geſto conſulatu, in epigrammate autem illo, quod eſt ad Proculum, de patrio, municipali, quinquennali (etenim in municipiis

omnibus majores magiſtratus quinquennales eſſe ſolebant) de Burdigalenſi nimirum conſulatu locutum fuiſſe. Hanc epiſtolam ſecuta eſt altera ad Joannem Chryſoſtomum Trombellium *Canonicum Regularem*, in qua de nummo quodam ab Athenienſibus Liviae Auguſtae dicato, illiuſque aetate differens, feminam illam non ſupremis tabulis, ſed matrimonii jure a marito nomen Auguſtae accepiſſe pluribus monumentis comprobat. Quae quidem aliaque ex abditiſſima antiquitate deprompta, quae ſparſit Corſinius in hac epiſtola, ut jucunda lectoribus, ita iiſdem plena moeroris fore arbitror, quae in extrema pagina ejuſdem epiſtolae Trombellius adnotavit. Scribit enim ille: *Dum extremam hujus epiſtolae partem edimus, monemur, eodem fere tempore, quo Brixiae egregius Mazzuchellius, inclytum Corſinium noſtrum Piſis apoplexi repente ereptum. Eheu litterae afflictae! o amicos incomparabiles! o annum vere calamitoſum & peſſimum!* Dies, quo illum apoplexis iterum invaſit, fuit V. ante Kal. Decemb. anno MDCCLXV. poſt quem caſum tribus ferme diebus vixit ſine ſenſu. Sepul-

tus eſt in Aede S. Euphraſiae totius Academiae luctu, quae hanc calamitatem acerbiſſime doluit, doletque adhuc reminiſcens ſe orbatam homine, in quo plurimae erant litterae eaeque interiores, divinum ingenium, ac induſtria ſumma; fruebatur vero tanta nominis celebritate, ut hac ſola muneris ſui ſplendorem tueri potuiſſet. Atque haec vitae decorabat dignitas & integritas. Quanta gravitas mixta comitati in vultu & moribus! quantum pondus in verbis! ut nihil inconſideratum exibat ex ore! quam diligenter inquirebat in ſe ſe, atque ipſe ſe ſe obſervabat! Omnino tantus erat in ipſo ordo, conſtantia, & moderatio dictorum omnium atque factorum, ut probitatem & religionem prae ſe ferret, & ad omne virtutis decus natus videretur.

Quidquid come loquens, & omnia dulcia dicens

mirabiliter ad ſe diligendum omnium animos alliciebat; ſi vero in familiari ſermone a quopiam diſſentiret, contentiones diſputationeſque vitabat, quod non tam naturae quam virtutis erat. Etenim iracun-

diae

diae aculeos aliquando ſentiebat, ſed hos perpetuus cupiditatum domitor frangebat, planeque occultabat. Secum ipſe vivens animi triſtitiam frequenter patiebatur, praeſertim ſi contemplaretur miſera, in quae incidimus, tempora, quibus corrumpere & corrumpi ſaeculum vocatur. Quod vero nonnulli perverſe adeo abuterentur philoſophia, ac praeſertim metaphyſica, ut ea animos a religione avocarent, tanto illum perfundebat horrore, ut vehementer poenitere eum nonnunquam videretur induſtriae ſuae, quam in erudienda juventute ad recentiorum philoſophorum dogmata inſumpſerat. Quae quidem poenitentia injurioſa mihi videtur omnium artium parenti Philoſophiae, quaſi ejus culpa, quae deflebat mala Eduardus, accidiſſent. Etenim ſunt unicuique ſcientiae certi fines ac termini ab omnium rerum moderatore Deo conſtituti, quos qui tranſilit, nae ille devius in praecipitem locum ruat neceſſe eſt. Sed ad Corſinium revertor, de cujus laudibus non eſt tacendum, ſummae illum bonitati ingenuitatique ſummam dexteritatem, ſi oportuiſſet, conjūxiſſe. Liberalis mi-

nimeque cupidus pecuniae hanc facile a ſe extorqueri patiebatur. Virorum litteris illuſtrium amicitias ſtudioſiſſime coluit, amavitque in primis Trombellium & Paciaudium, quorum mentionem ſupra fecimus, quorumque conſuetudinis magnum cepit fructum eo praeſertim tempore, quo Romae fuit. Dolui ipſum combuſſiſſe, quas ab amicis accipere ſolebat, epiſtolas, quia ſciebam in iis erudita multa contineri: eae quidem mihi non mediocri ſubſidio futurae fuiſſent huic explicandae vitae. De qua ſatis erit dictum, ſi hoc unum addam, eumdem ineditas reliquiſſe binas Diſſertationes de S. Petro Igneo, & B. Joanne *delle Celle*; librum de civitatibus, quarum mentio fit in Graecis nummis, ſexque Latinas orationes habitas in Academia Piſana, ex quibus lenitas ejus ſine nervis cognoſci poteſt.

OPERA EDITA.

Inſtitutiones Philoſophicae, ac Mathematicae ad uſum Scholarum Piarum: Tomus I. Florentiae typis Bernardi Paperini 1731 *in* 8.

---- *Tom. II. continens phyſicam generalem* 1732.

---- *Tom. III. continens libros de coelo & mundo* 1732.

---- *Tom. IV. continens tractatum de anima, & metaphyſicam* 1733.

---- *Tom. V. continens ethicam vel moralem* 1734.

---- *Tom. VI. continens inſtitutiones mathematicas.* 1731.

Editae iterum fuerunt hae Inſtitutiones in V. tomos diſtributae anno 1741. & 1742. Bononiae ex typograghia Laelii a Vulpe cum hoc titulo: *Eduardi Corſini Cl. Reg. Scholarum Piarum, & in Piſana Academia Philoſophiae Profeſſoris Inſtitutiones Philoſophicae ad uſum Scholarum Piarum editio altera auctior & emendatior.*

Ragionamenti intorno allo ſtato del Fiume Arno, e dell' acque della Valdinievole: In Colonia appreſſo Hans Wetergroot. 1732. *in* 4.

Elementi di Mattematica, ne' quali ſono con miglior ordine e nuovo metodo dimoſtrate le più nobili e neceſſarie propoſizioni di Euclide, Apollonio, e Archimede di Eduardo Corſini Ch. Reg. delle Scuole Pie: in Firenze l' anno 1735. *nella Stamperia di S. A. R. per li Tartini, e Franchi in* 8.

Haec elementa mathematica edita ſecundo fuerunt Ve-

netiis anno 1765. apud Antonium Perlinum, in qua editione quaedam mutata ſunt, emendatuſque error, quo captus fuerat Auctor, dum in priori editione expoſuit Propoſitionem XXXV. Libri XI. Venetae huic editioni adjectus eſt ejuſdem Auctoris liber *della Geometria Pratica*.

Ragionamento Iſtorico ſopra la Valdichiana, in cui ſi deſcrive l' antico e preſente ſuo ſtato; in Firenze 1742. nella Stamperia di Franceſco Moucke in 4.

Faſti Attici, in quibus Archontum Athenienſium ſeries, Philoſophorum, aliorumque illuſtrium Virorum aetas, atque praecipua Atticae hiſtoriae capita per Olympicos annos diſpoſita deſcribuntur, noviſque obſervationibus illuſtrantur; Auctore Eduardo Corſino Cl. Reg. Scholarum Piarum in Piſana Academia Philoſophiae Profeſſore. Florentiae 1744. ex typographia Jo. Pauli Giovannelli ad inſigne Palmae in Platea S. Eliſabeth.

— *Tom. II.* prodiit anno 1747. ex eadem typographia.

— *Tom. III.* prodiit anno 1751. ex eadem typographia.

— *Tom. IV.* prodiit anno 1756. ex Imperiali typographia.

Eduardi Corſini Cl. Reg. Scholarum Piarum in Academia Piſana Philoſophiae Profeſſoris Diſſertationes IV. Agoniſticae, quibus Olympiorum, Phythiorum, Nemeorum, atque Iſthmiorum tempus inquiritur ac demonſtratur: Accedit Hieronicarum catalogus, editis longe uberior, & accuratior. Florentiae anno 1747. ex typographia Imperiali. In extrema pagina hujus libri exhibetur integra ſeries menſium Macedonicorum, Atticorum, & Romanorum ad demonſtrandum verum eorum ſitum ac connexionem; quam

ſeriem hoc quoque in loco nos exponemus, quia rem gratam antiquitatis ſtudioſis facturos arbitramur. Series enim a Corſinio contexta differt nonnullis in menſibus ab ea quam Scaliger, Uſſerius, Petavius, Dodwellus, aliique deſcripſerunt.

Macedonici	Attici	Romani
Lous	*Hecatombaeon*	*Julius*
Gorpiaeus	*Metagitnion*	*Auguſtus*
Hyperberetaeus	*Boedromion*	*September*
Dius	*Pyanepſion*	*October*
Apellaeus	*Maemacterion*	*November*
Audynaeus	*Poſideon*	*December*
Peritius	*Gamelion*	*Januarius*
Dyſtrus	*Antheſterion*	*Februarius*
Xanthicus	*Elaphebolion*	*Martius*
Artemiſius	*Munychion*	*Aprilis*
Daeſius	*Thargelion*	*Majus*
Panemus	*Scirrhophorion*	*Junius*

Lettera intorno all' opera del Marcheſe Scipione Maffei intitolata: Graecorum Siglae lapidariae. Extat in tom. 4. par. 3. *del Giornale de' Letterati pubblicato in Firenze* 1747.

Notae Graecorum, ſive vocum & numerorum compendia, quae in aereis atque marmoreis Graecorum tabulis obſervantur. Collegit, recenſuit, explicavit, eaſdemque tabulas opportune illuſtravit Eduardus Corſinus Cl. Reg. Scholarum Piarum in Academia Piſana Philoſophiae Profeſſor. Accedunt Diſſertationes ſex, quibus marmora quaedam tum

Digitized by Google

ſacra tum profana exponuntur ac emendantur. Florentiae anno 1749. e typographio Imperiali in fol.

Plutarchi de Placitis Philoſophorum libri V. Latine reddidit, recenſuit, adnotationibus, variantibus lectionibus, diſſertationibus illuſtravit Eduardus Corſinus Cl. Reg. Scholarum Piarum in Piſana Acad. Philoſophiae Profeſſor. Florentiae 1750. ex Imp. typographio in 4.

Diſſertationes IV. quibus antiqua quaedam inſignia monumenta illuſtrantur. Vide eas in Tom. VI. *Symbolarum litterariarum Antonii Franciſci Gorii.*

Herculis quies & Expiatio in eximio Farneſiano marmore expreſſa: in fol.

Inſcriptiones Atticae nunc primum ex Cl. Maffeii Schedis in lucem editae Latina interpretatione brevibuſque obſervationibus illuſtratae ab Eduardo Corſino Cler. Regul. Scholarum Piarum in Academia Piſana Philoſophiae Profeſſore. Florentiae anno 1752. ex typographio Jo. Pauli Giovannelli in 4.

Selecta ex Graeciae Scriptoribus in uſum ſtudioſae Juventutis. Florentiae anno 1753. ex Imperiali typographio in 8.

Inſtitutiones Metaphyſicae in uſus Academicos auctore Eduardo Corſino Clericorum Regularium Scholarum Piarum in Academia Piſana Philoſophiae Profeſſore. Venetiis ex Typographia Balleoniana 1754. in 12.

Eduardi Corſini Cl. Reg. Scholarum Piarum in Academia Piſana humaniorum litterarum Profeſſoris de Minniſari aliorumque Armeniae Regum nummis, & Arſacidarum Epocha Diſſertatio. Liburni 1754. typis Antonii Santini & Sociorum in 4.

Spiegazione di due antichiſſime inſcrizioni Greche indirizzata al Reverendiſſimo Padre Anton Franceſco Vezzoſi

Digitized by Google

Prepoſto Generale de' Cherici Regolari, Lettore nella Sapienza Romana, ed Eſaminatore de' Veſcovi da Edoardo Corſini Ch. Reg. delle Scuole Pie. In Roma 1756. nella Stamperia di Giovanni Zempel in 4.

Relazione dello ſcuoprimento e ricognizione fatta in Ancona dei Sacri Corpi di S. Ciriaco, Marcellino, e Liberio Protettori della Città; e Riſleſſioni ſopra la translazione, ed il culto di queſti Santi. In Roma 1756 nella Stamperia di Giovanni Zempel in 4.

Eduardi Corſini Cler. Regul. Scholarum Piarum, & in Academia Piſana humaniorum litterarum Profeſſoris Diſſertatio, in qua dubia adverſus Minniſari Regis nummum, & novam Arſacidarum epocham a Cl. Eraſmo Froelichio S. J. propoſita diluuntur. Romae 1757. ex typographio Palladis in 4.

Eduardi Corſini Cler. Regul. Scholarum Piarum & in Academia Piſana humaniorum litterarum Profeſſoris ad Clariſſimum virum Paulum Mariam Paciaudium Epiſtola, in qua Gotarzis Parthiae Regis nummus hactenus ineditus explicatur, & plura Parthicae hiſtoriae capita illuſtrantur. Romae 1757. in Typographio Palladis. Excudebant Nicolaus & Marcus Palearini in 4.

Eduardi Corſini Cl. Reg. Scholarum Piarum in Piſana Academia humaniorum litterarum Profeſſoris Epiſtolae tres, quibus Sulpiciae Dryantillae, Aureliani ac Vaballathi Auguſtorum nummi explicantur & illuſtrantur. Liburni 1761. apud Jo. Paullum Fantheſhium ad ſignum Verit. in 4.

Series Praefectorum Urbis ab Urbe condita ad annum uſque MCCCLIII. ſive a Chriſto nato DC. collegit, recenſuit, illuſtravit Eduardus Corſinus Cler. Reg. Scholarum Piarum in Academia Piſana humaniorum litterarum Pro-

feſſor. Piſis A. D. 1763. excudebat Joh. Paulus Giovannellius Academiae Piſanae Typographus cum Sociis in 4.

Notizie Iſtoriche intorno a S. Liberio ſepolto e venerato nella Cattedrale della città di Ancona all' Eminentiſſimo Signor Cardinale Acciajuoli Veſcovo di detta città. In Ancona 1764. nella Stamperia Bellelli in 4.

Eduardi Corſini Cl. Reg Scholarum Piarum, & in Academia Piſana humaniorum litterarum Profeſſoris Epiſtola de Burdigalenſi Auſonii Conſulatu. Piſis A. D. 1764. Excudebat Joh. Paulus Giovannellius Academiae Piſanae typographus cum Sociis in 4.

Eduardi Corſini Clericor. Regular. Scholarum Piarum Ex-generalis, & in Piſana Univerſitate Primarii Lectoris ad Joannem Chryſoſtomum Trombellium Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris Ex-generalem & S. Salvatoris Bononiae Abbatem Epiſtola. Bononiae 1766. ex typographia Longhi in 4.

OPERA INEDITA.

Diſſertazione ſopra S. Pietro Igneo.
—— ſopra il B. Giovanni delle Celle.
De Civitatibus, quarum mentio fit in Graecis nummis.
Pars I. Hiſtoriae Academiae Piſanae.
Latinae Orationes VI. ad Academicos Piſanos.

Angelus Fabronius
Paullo Frisio suo
S. P. D.

Non me poenitet, ſapientibus viris approbantibus, ſuſcepiſſe conſilium admiſcendi meis ſcriptis aliena, ut in iis habeant Lectores veluti peropportunum aliquod diverſorium, ubi defatigati requieſcant. Diu anceps fui, quid potiſſimum eligerem ad hoc ornandum volumen, convertique tandem animum ad Ramiri Rampinellii vitam, quod ea ſcripta ſit diligentiſſime a Franciſco Turriceno, quodque res geſtas contineat hominis, cui ſane Italia, mathematicae omnes diſciplinae, ac praeſertim analyſis non mediocriter debent. Mirabantur porro multi majorum noſtrorum memoria perpaucos apud nos extitiſſe, qui ſcientiam tum ad geometricas, tum ad phyſicas explicandas quaeſtiones utiliſſimam excoluiſſent; & eo magis mirabantur, quod ejus prima veſtigia, ac prope incunabula in ipſa Italia reperirent. Conſtat enim primum omnium,

qui de eadem in vulgus libros edidere, fuiſſe Lucam Pacciolium e Burgo S. Sepulcri Franciſcanae Familiae alumnum, qui cum varia a variis, & praeſertim a Leonardo Piſano ſumpſiſſet, fecit ut uſûs communis vulgariſque eſſet aequationum quadraticarum, quarum duas eſſe radices oſtendit (1). *Tali modo jactis ſcientiae fundamentis, excitaſſe videtur Hieronymum Cardanum Mediolanenſem, ut rationem doceret reſolvendi non ſolum quadraticas, ſed etiam cubicas aequationes* (2). *Haec glorioſa ſane Ita-*

(1) Ejus liber inſcribitur: *Summa Arithmeticae & Geometriae, proportionumque, & proportionalitatum*. Venetiis, ut affirmat Vallisius, editus eſt anno 1494. iterumque prodiit 1523. in Tuſculano pago apud Benaci oras.

(2) Prodiit in lucem *Ars magna* Hieronymi Cardani anno 1545. Cardanus tamen ipſe faſſus eſt ingenue, primum omnium Ferreum Bononienſem aequationes cubicas reſolviſſe. Nemini ipſe mirum hoc inventum aperuit, praeter quam Antonio Florido Veneto ejus auditori. Cum porro illi fuiſſet diſputatio & certamen cum Nicolao Tartalea, huic nonnulla propoſuit problemata, quae reſolutionem aequationum tertii gradus poſtulabant. Tartalea ne primas illi concederet, adeo elaboravit, ut ad optatam reſolutionem pervenerit. Qua de re certiorem primum fecit Cardanum, poſtea ei efflagitanti re-

liae reminiſcentes ineunte hoc ſaeculo Guido Grandius & Gabriel Manfredius, cernenteſque animo, quae Galilaei veſtigia perſequens de methodo indiviſibilium tradiderat Bonaventura Cavalerius ad inveſtigandam ſuperficierum, ſolidorumque curvilineorum menſuram ac proportionem, nihil non tentandum eſſe ſtatuerunt, quo ad Italiam veluti poſtliminio analyſis rediret. Quid ii ſummi viri geſſerint ad nobiliſſimae ſcientiae cum faciliorem uſum, tum incrementum, nemo te melius novit, doctiſſime Friſi, qui aliorum inventa perfecte teneas, & in clariſſimis ipſe harum rerum inventoribus numeris. Sed non ſatis erat ad Italiae gloriam prodiiſſe ex ea viros, qui vel ſublimioris analyſis quaſi ſemina ſparſerint; & extitiſſe, qui ea mirum in modum coluerint, ac permagnos ex ipſis fructus perceperint. Etenim neceſſe erat reperiri, qui omnia, quae in alienis ac praeſertim exterorum ſcriptis erant incluſa ac diſſeminata, colligerent, diſponerent, ac bono in lu-

gulam indicavit, celata demonſtratione. Cardanus his ſubſidiis inſtructus cuncta invenit atque perfecit, ac primus typis mandavit. Hinc factum ut formula, in qua reſolvitur aequatio tertii gradus, Cardanica nuncupetur. V. Ricat. in *praef. Inſt. Analyt.*

mine collocarent, ſicque ſtudioſis vias artis tradendo conſulerent. Perfecit id feliciſſime Cajetana Maria Agneſia, duobus editis voluminibus an. MDCCXLVIII. *quorum ope incredibile eſt, quantum analyſeos ſtudium in Italia fuerit provectum. Nec fateri dubitavit ingenua femina operis ſui gloriam cum laude Rampinellii conjunctam eſſe debere, quod ab eo non ſolum ſcientiae praecepta, ſed etiam induſtriae ſubſidia habuerit. Quod vero Rampinellius talis eſſet vir, ut quam conſecutus erat praeſtantiam doctrinae, eam diſcipulis libentiſſime impertiret, communicaretque cum amicis, merito laudatus eſt ab omnibus & a te praeſertim, qui nobiliſſimum virtutibus, interioribuſque ipſius litteris teſtimonium dediſti in ea, quam an.* MDCCLXIV. *Mediolani habuiſti, Praelectione. Ais enim:* quantum eſſet (*Ramirus Rampinellius*) in re analytica, manuſcriptae ipſius inſtitutiones mechanicae ac ſtaticae teſtantur, quantuſque eſſet geometra, opus poſthumum Lectionum Opticarum ſatis oſtendit: ego autem per me ipſum utrumque, Ticini biennio cum eſſem, peculiari ſtudiorum fructu exploratum habui, quam in utraque arte excelleret, quam

haberet naturalem perſpicuitatem, elegantiam, nitorem ac rerum ordinem. Rampinellio apud nos degente eouſque litterariae gloriae perventum eſt, ut AUGUSTAE FEMINAE auſpiciis maximum femineum opus prodierit, analyticae ſcilicet Inſtitutiones omnium judicio abſolutiſſimae. *Omnino aſſentio tibi, amicorum ſuaviſſime, maximam jacturam feciſſe litteras, quod tanta femina nuncium mathematicis diſciplinis remiſerit, ut liberius religioni ac pietati ſerviret. Ego vero, ajebat Grandius, matheſi ſemper vacabo, quod ex aeterna veritate effluxerit quidquid teneo, quodque animus ab ipſa pictura & imaginibus bonorum, quae ſtudio aſſequimur, ad rem, fontemque ipſum omnis boni poſſidendum traducatur. Quae dum dicebat, non verebatur ne non perinde intelligi auditu deberent, atque ipſe cogitans ſentiebat, praeſertim cum omnibus appareret omnia officia Chriſtianae religionis ab eo diligenter ſancteque ſervari. Sed nolo te pluribus morari, mi Friſi. Haec enim ſatis oſtendunt quid debeat Italia, & analyſis Manfredio, Grandio, & Rampinellio, quae commemoranda eſſe putavi ad probandam omnibus rationem, cur poſtea quam*

Manfredii vitam explicaverim, ſcribendum etiam de Grandio, expoſitoſque ab aliis diligentiſſime mores reſque geſtas Rampinellii hoc loco proponendas putaverim. Cupio te habere mei conſilii laudatorem; utque faveas huic meae voluntati, adjutorque ſis (majus enim quiddam eſſe arbitror, quam meae vires ferre poſſint, de praeclariſſimis Grandii operibus eleganter & enucleate dicere) vehementer te rogo. Vale. Noli putare hominem, cui commiſeram, ut Riccii mathematica ſcripta, ſi qua ſuperſunt, inquireret, mandata mea exhauſiſſe. Non enim te fugit quantam perturbationem rerum Urbanarum afferat Pontificis obitus, quantamque cupiditatem aulicis injiciat vacuitas. Iterum vale.

Piſis XIV. Kal. Dec. MDCCLXXIV.

FRANCISCI TURRICENI

Ad Clariſſimum Virum, & Praeſtantiſſimum Congregationis Olivetanae

PRAESULEM

BERNARDUM ONUPHRIUM

DE VITA

RAMIRI RAMPINELLII.

EPISTOLA.

Etſi quod tibi, Vir Clariſſime, elapſo ab hinc anno promiſeram, in me fidenter nimis, ne dicam temere, & inconſulto promiſiſſe jam ſenſerim, ea tamen ſunt tua in me merita, is meus erga communem amicum amor, ut quidvis aliud mihi objici, aut a me exigi malim, quam ne officio deſim, & fidem meam liberem atque abſolvam. Scilicet recenti adhuc dolore propter immaturam clariſſimi, ejuſdemque amiciſſimi viri Ramiri Rampinellii mortem ſtatim, ac ſine ulla haeſitatione promiſi me ejus vitam ſcripturum. Ferme enim pares aetate, paribus ſtudiis, licet diſpari longe fructu, primam adoleſcentiam ſumma cum familiaritate

tranſegimus, quam quidem amicitiam ille, qua erat humanitate, conſtanter retinuit, & ego ſtudioſiſſime colui. Sed cum manum ad ſcribendum admoverem, re propius inſpecta, ſubiit animum inter alias haec dubitatio: quidnam ego in medium proferre auderem de eo viro, cujus praecipua laus fuit, quod egregias animi atque ingenii dotes apud exteros ſedulo obtegeret, inter conſcios diſſimularet plerumque, ſemper imminueret? Nempe quantus ille in mathematicis diſciplinis fuerit, ſatis Lectiones in Ticinenſi Lyceo habitae, ſatis hoc ipſum, quod nunc editur, opus, ſatis elogia, quibus ab Etruſcis, Romanis, Venetiſque Scriptoribus ornatus eſt, & demum clariſſima illa ingenia, quae hiſce ſtudiis inſtituit atque formavit, ſatis oſtendent. Mihi igitur leviora commemoranti in tenui laborem fore, ſcriptori certe inglorium, nec legentibus fortaſſis gratum probe intelligebam, ac proinde manus ab incepto veluti retrahi ſentiebam. Sed cum illuſtrium virorum vel minima quaeque ſeu dicta, ſeu facta a nonnullis noſci deſiderentur, & a doctis etiam quandoque avide excipian-

cipiantur, hinc officii mei rationem confidens poſſe aliquibus ſaltem probari, has partes mihi ſumpſi, ut illum tibi iſtam non ea dumtaxat facie, qua geometram exhibet, ſed qua etiam hominem, qua amicum, qua civem. Dum itaque haec ego ſigillatim & prolixius fortaſſis perſequor, dumque hoc modo mihi videor deſiderium tanti viri aliquantum levare, ne quis mihi hoc genus ſolatii invideat, aut culpet velim.

Natus eſt Ludovicus Rampinellius (Ramiri enim nomen adſcivit tum ſolum cum in clariſſimam Sancti Benedicti de Monte Oliveto Congregationem cooptatus eſt) Brixiae IV. Id. Aug. anno MDCLXXXXVII. ex honeſtiſſima familia atque inter primarias Triumplinae Vallis, quaeque Gardone haud ignobili vico X. ab urbe lap. jamdudum opibus, clientelis, auctoritate principem facile locum tenuit. Poſtea in urbem tranſlata ineunte ſaeculo XVII. hic affinitatibus, amicitiis, liberalitate atque hoſpitum frequentia maxime floruit. Marcheſius ei pater & Hieronymus avunculus fuit, qui conjunctis licet aedibus, ſeparatim tamen ambo lautio-

re victu, & elegantiore cultu, quam tunc temporis in hac ſeverioris Italiae parte moris eſſet, agebant. Maternum vero genus traxit aeque illuſtri Chinelliorum gente. In hac igitur florentis domus ſuae dignitate natus eſt Ludovicus, qui, ubi per aetatem licuit, in Scholis PP. Soc. J. Latinis litteris imbutus eſt. Poſtea in Collegio Adeodati Gazolae Veronenſis, quod non procul a paternis aedibus aberat, audivit rhetorices praecepta interpretantem Franciſcum Rotignum non contemnendi quidem ingenii hominem, in cujus ſcriptis, ſi judicium aliquando requireres, elegantiam certe raro deſiderares. Sed noſter abſurditatem morum ejus & ruſticitatem brevi pertaeſus ad ſcholas rurſum PP. Soc. ſe retulit, ubi ſub variis magiſtris omnibus doctrinis, quibus juvenilis aetas impertiri debet, eruditus eſt. Confecto philoſophiae curſu, ad audiendum nobilem juris civilis interpretem Felicem Baitellum properavit. Sed nobiliſſimum hoc legum ſtudium illi minus arriſit, eodem ſcilicet fato, quo aliis quoque magnis ingeniis id eveniſſe legimus. Abjecto igitur non ſi-

ne patris offenſione juris prudentiae ſtudio, ac ſibi ipſi redditus circumſpicere coepit, quo ſe verteret otii impatiens, & ceterarum rerum, quae illam aetatem oblectare ſolent, incurioſus aut contemptor. Cum aliquot menſes egiſſet, quem librum ſors obtulerat carptim legendo, tandem probe intellexit ſe vaga ac intemperanti hac eruditione id prorſus agere, ut nihil ſciret. Ego ſaepius ſermonem injeceram, & hortatus etiam fueram, ut in geometriam otium illud, de quo adeo querebatur, impenderet; & ille quidem propenſiſſimo erat erga ſcientiam ipſam animo, ſed demonſtrationum taedium averſabatur, & ad hoc nomen ita exhorrebat, ac ſi inter vepres & dumeta nudis pedibus eundum eſſet. Poſtremo hanc ipſam amplexus eſt, ſed propoſito ſibi ſcopo longe diverſo ab eo vitae ordine, quam poſtea inſtituit. Nam ſicut celeberrimus ille Newtonus in arcana penitioris geometriae tam longe poſtea penetravit, cum primo ſibi illam ſolummodo delibare propoſuiſſet, ut principia aſtrologiae propius introſpiceret, ita & Rampinellius, qui ſibi nihil aliud

Digitized by Google

praefixerat, quam elementa architecturae militaris, cujus amore ſummopere capiebatur, vel leviter addiſcere, in vaſtam poſtea mathematicarum ſcientiarum altitudinem ſe condidit. Sed dum ego occaſionem, qua id factum eſt, altius aliquantum repeto, erunt fortaſſis, quibus ineptire & nugari videar, ſed iis ſuo quidem judicio relictis, quae tibi, qui hominem noſti, commemoratu non injucunda fore, quaeque ad rem pertinere arbitror, omittere non auſim. Non enim abs re omnino fuerit in vita inſignium virorum obſervare qualia ſint prima indicia ac veluti ſemina illarum facultatum, quibus poſtea excelluerunt, ut ii, ad quos haec obſervandi cura maxime ſpectat, vim iſtis animi affectionibus non inferant, nec feliciora ingenia alio deflectant, eaque obnoxia veluti mancipia in aliquod piſtrinum detrudant. Occaſio autem, qua omnium difficultatum timorem exuit, & ſtudia geometriae auſpicatus eſt, haec fuit. Cum ſoleret ad me ventitare, ſolito citius prid. Kal. Junii anno MDCCXVIII. venit medio fere diei aeſtu, ſtatimque edixit ſe velle mecum ar-

cem, quae domui meae imminet, adire, quam ſcilicet nunquam antea inviſerat. Imus ergo, nam quodcumque ille vellet, flagrantiſſime volebat, cumque ad oram exteriorem foſſae conſtitiſſemus, tum ille altitudinem moenium, propugnaculorum ſinus coepit attentius contemplari adeo, ut ab hoc ſpectaculo aegre divelli poſſet. Poſtquam autem primam portam intravimus, & novus murorum ordo, aliaque munimentorum facies ſe obtulit, illico ſtudio rei militaris ſummopere accenſus eſt. Cum vero ſingularum rerum uſum, & utilitatem ſcire vellet, coepit veteranum & emeritum militem, qui nobis cuſtos & dux viae additus fuerat, tot interrogationibus fatigare, ut iſte mihi in aurem poſtea dixerit, ſe exiguam illam ſtipem, qua nos eum donavimus, numquam adeo meruiſſe. Acrius tamen adhuc interroganti obvium ſe forte obtulit arcis Propraefectus, qui ubi cognoviſſet Ludovicum rei militaris cupidiſſimum, multa cum humanitate ſe ducem exhibuit, & machinarum atque operum omnium interpretem. Quod quidem accurate praeſtitit, imo & li-

brum Rampinellio commodavit manu ſua ſcriptum, in quo faciliores quaſdam methodos in deſcribendis & conſtruendis hujuſce generis poligonis ex Vaubano & Cohornio excerptas in uſum ſuum adnotaverat. Potitus hoc veluti theſauro Ludovicus ſtatim regreditur; dumque in deſcenſu arcis, neglecta viae aſperitate, librum hac atque illac verſat, impacto in extantem ſilicem pede adeo graviter prolapſus eſt, ut pene crus infregerit. Nec ideo tamen deſtitit, quamvis ego ſaepius intercederem, ſed librum attentiſſime legere perſeveravit, donec veluti a ſomno experrectus ſenſit ſe eſſe in media urbe, atque in multa hominum frequentia verſari. Ubi librum repoſuit, ego illi libere praedixi, probe ipſum falli, ſi quid proficere in eo ſtudio architecturae militaris ſine geometriae praeſidio unquam ſperaret. Domum reverſus reliquum diei, noctemque fere totam evolvendo libro atque tabulis conſpiciendis inſumpſit. Hic veniam peto, ſi animi cauſſa lepidum hominis factum adjungam, utarque pro excuſatione verbis Ta-

citi (*). Parvum enim & ridiculum fortaſſe videtur quod dicturus ſum; dicam tamen vel ideo, ut rideatur. Poſtridie ſummo mane cubiculum meum irrumpit, & ſtatim geometriam ſe velle diſcere, jamque omnibus inſtrumentis ad id neceſſariis ſe inſtructum profitetur, ac deinde grandem circinum ferreum & immanem regulam depromit, quam ſub veſtibus aegre tegebat, quo ille apparatu mihi fabri alicujus lignarii pediſſequus plane videbatur. Verum ille de ſucceſſu ſtudiorum ſuorum laetus, ut mihi quoque fidem faceret quantum una in nocte profeciſſet, coepit praegrandi illo circino in pavimento cubiculi circulum deſcribere, ac circulo exagonum velle inſcribere, quod antequam perficeret properavi ego novellum hunc Archimedem domo extrudere, ne mihi totum pavimentum novo hoc ornamenti genere dehoneſtaret. Unus in urbe noſtra tunc temporis Joannes Baptiſta Mazinus (ſi alterum excipias P. Bornatum hujus magiſtrum ſenio jam confectum) mathematicis

(*) Sive Quintil. ſive quis alius Scrip. *De cauſ. cor. eloq.*

ſtudiis operam dabat, qui & medicam artem ſumma cum laude exercebat, quique paucis poſt annis in Patavino Lyceo celebris medicinae theoricae Profeſſor fuit, atque editis operibus clariſſimam famam, praeſertim apud Germanos & Anglos, adeptus eſt. Ad hunc ergo affinitate mecum conjunctum, & quo ego magiſtro biennio ante in hiſce ſtudiis uti coeperam, Rampinellium deduxi, ac ſummopere commendavi, licet iſte jam ſe ſatis Mazino & diſcendi ardore, & erecta, qua erat, indole probaviſſet. Coepit itaque ſumma cum voluptate, & pari etiam rapiditate elementa Euclidis devorare, jamque primum librum ſuperaverat, cum improviſus ſane turbo illum adflixit, & pene ab incepto dejecit. In haec ſiquidem ſtudia ſe conjecerat, inſcio patre, qui adhuc uſque ſperaverat poſſe filium ſeu amicorum hortatu, ſeu paterna auctoritate ad juris prudentiae exercitationem revocari. Ubi autem pater deprehendit adeo diverſam iniiſſe viam, tum vero ad ſe vocatum acriter increpuit in praeſentia amicorum, qui frequentes aderant, pleriſque eorum irridentibus &

ſciſcitantibus, num ne aſtrologicam artem profiteri vellet? Nullo ſcilicet diſcrimine, ut olim Romani, mathematicos cum aſtrologis facile confundebant. Nec ſtetit intra objurgationes pater, ſed filium omni commercio ſive cum Mazino, ſive mecum, ſive etiam cum libris iſtius generis ſeveriſſime interdixit. Imo eo uſque excanduit, ut domum univerſam excuteret, everteretque, quo libros hujuſmodi rimaretur, quos diligentiſſime conquiſitos, diſcerpſit omnes, aut in ignem projecit. Prope abfuit, quin eamdem ſortem ſubiret etiam ille codex manuſcriptus, quem filio, ut ſupra memoravi, commodaverat arcis Propraefectus, niſi illum mater tempeſtivo officio ſubtraxiſſet. Periere eo incendio Maurolycus, Commandinus, Tartalea, Tacquetus, & praeterea, quod rideas, Steganographia Trithemii avitus vetuſque in domo liber, quem tamen ob ſolam tituli invidiam miſere ſuſpectum eiſdem flammis inclementer damnavit. Perculſus hac denunciatione, hiſque patris intemperiis Ludovicus, & ludibrio adſtantium acerrime offenſus pene in deſperationem a-

ctus eſt. Fugam inde a paterna domo coepit meditari, ut Veronae inter gravis armaturae equites conſcriberetur. Suboluit hoc conſilium illis ipſis amicis, qui eum paulo ante irriſerant, quique poenitentia ducti quod optimae ſpei adoleſcentem ipſi quoque veluti in praeceps adegiſſent, omnem deinde lapidem moverunt, quo patrem ei conciliarent, & proſequendi hujuſce ſtudii veniam obtinerent. Nondum igitur elapſo menſe a domo avunculi, ad quem noſter confugerat, in ſuam, & in amplexum patris reverſus eſt, adnitentibus PP. Soc., & praecipue inter alios Petro Bornato. Optimus enim ille ſenex, qui uſque ad ultimam aetatem haec ſtudia conſtantiſſime coluerat, quique per longas veterum methodos & ambages pene contabuerat, cum videret ultra montes novum lumen exoriri, viamque paullatim ſterni multo magis compendioſam, flagrantiſſime cupiebat, ut aliquis ex noſtris civibus, & praeſertim Rampinellius, cujus ingenium perſpectum habebat, algebram capeſſeret. Reducta itaque animi ſerenitate, geometriam reſumpſit, ac ſe pri-

ſtinae noſtrae conſuetudini reſtituit. Duobus vix menſibus alios V. Euclidis libros, & inſuper XI. ac XII. emenſus eſt. Autumnalibus vero feriis ſe totum arithmeticae dedit. Inſequenti anno geometriam practicam, ſtaticam, mechanicam, atque trigonometriam linearem ac logarithmicam didicit, quin aliquid etiam attigit ſectionum conicarum: incredibili ſane celeritate ſi adverteris eum per exactas quidem, ſed prolixiores veterum demonſtrationes circumductum fuiſſe, quae ſi utilitatis aliquid, morae profecto ac taedii plurimum afferunt. Sed jam tempus advenerat, quo promptiſſimum hoc ingenium velut e carceribus emitteretur, ſeque ad eum curſum, quem adeo rapide, adeo feliciter peregit, expediret. Nam excitus fama celeberrimi Gabrielis Manfredi Bononiam cogitare coepit, & commeatum ad hoc petiit a parentibus, & impetravit. Hic animadverti velim Rampinellium non adeo geometriae omnis expertem & plane rudem, ut quidam volunt, Brixia diſceſſiſſe, imo ea omnia, quae ſupra expoſui, ſtudia ſub Mazino praemiſerat, & hoc, ut verbis utar Cor. Nepotis,

non auditum, ſed cognitum praedicamus: Porro quia haec comperta teſtataque haberemus, haud quidem credibile fuerit Rampinellium ita, ut ferunt, crudum eo uſque confidentiae proceſſiſſe, ut ſub Manfredo geometrarum Bononienſium tunc temporis facile principe, prima tyrocinii ſui rudimenta ponere tentaret, & in primo hujus ſcientiae limine, ipſoque in veſtibulo auſus eſſet tantum virum convenire, ad quem per gradus ultimo in ſuperiori loco adſcendere debuiſſet. Nec veriſimile etiam videatur Manfredum tunc penitioris geometriae meditationibus alte defixum, noviſque in analyſi inventis unice intentum, ſe adeo ſubmiſiſſe, ut erudiendi tyronis, perque prima elementa manuducendi onus & curam in ſe vellet recipere. Non igitur tam pauca Ludovicus primis ſuis magiſtris debuit, qui eo uſque illum perduxere, ut dignus Manfredo diſcipulus ſtatim haberetur, & ſine quorum opera nec quid ſibi ab iſto petendum, ſperandumque foret reſcire equidem potuiſſet. Sed nec adeo, ut ipſi aſſerunt, in Latino ſermone peregrinus & amoeniorum litterarum je-

junus erat, cum Bononiam profectus eſt: iis enim optime excultus fuerat, licet prae ſublimioribus ſcientiis, erga quas a natura ferebatur, haec ornamenta toto fere adoleſcentiae curſu neglexerit. Liceat duo haec verba perdidiſſe; nunc ad propoſitum redeamus. Triennium pene integrum cum Manfredo egit; & duobus quoque inſequentibus annis, quamvis non eadem frequentia, poſtquam aliud vitae inſtitutum amplexus fuerat, ejus auditor fuit. Hoc intervallo totam illius ſcientiam, ut ita dicam, exhauſit, adeo ut clariſſimus analyſis Profeſſor diſerte fateretur, ſe nihil ultra habere quod eum doceret: rariſſimo ſcilicet apud magiſtros ingenuitatis exemplo, quod ut alii imitentur, optaveris ſaepius quam obtineas. Sed aeque rarum inter adoleſcentes modeſtiae & grati animi ſpecimen noſter dedit; nam licet a Manfredo non jam ut diſcipulus, ſed ut ſtudiorum ſuorum ſocius haberetur, non ideo tamen altiores ſpiritus ſumpſit, ſed optimum ſenem coluit aſſidue, dum ipſe Bononiae moratus eſt, & quoad vixit ſumma cum reverentia obſervavit ſemper atque ſu-

ſpexit. Patefacta igitur per calculum & analyſin, velut reductis in theatro velis, tot ſublimiorum veritatum ſerie, tum vero noſter in contemplatione earum altius evectus, coepit a publico plerumque abſtinere. Divina nempe providentia paullatim ſternente viam, qua is, qui primum inter armorum ſtrepitus & bellicos tumultus ingenium exercere decreverat, nunc vitaret civium frequentiam, inde amicorum etiam conſortium declinaret, poſtremo ad clauſtrorum ſolitudinem confugeret. Cogitanti autem quodnam ſanctioris vitae inſtitutum ſibi ac ſtudiis ſuis opportunum deligeret, quin nobiliſſimam Congregationem tuam aliis anteferret, non diu fuit ambigendum. Prius tamen, quam omnino deliberaret, ſtatuit hoc conſilium civi ſuo, eique doctiſſimo ac prudentiſſimo, aperire. Is tu eras, vir clariſſime; nam tunc temporis Bononiae aderas, ibique theologiae operam dabas, & tu probe memineris, cum ille ante te in cubiculo conſtitit flagrantiſſime rogitans, ut in clariſſimum Ordinem adſciſceretur, adeoque morae impatiens impotenſque erat, ut non levem

ſuſpicionem tibi injecerit, ne forte aegritudine animi, aut immodico alio affectu ageretur. Tu qua es dexteritate rem in ſuſpenſo tenuiſti, donec aptis interrogationibus animum ejus explorares, & donec etiam ſecreta inquiſitione in mores ejus penetrares, qui nondum ſatis tibi perſpecti erant. Comperta denique optima juvenis indole, tu auctor fautorque adſuiſti, ut in egregium hunc coetum reciperetur ſummo omnium conſenſu. Contigit id Bononiae Kal. Novemb. an. MDCCXXII. In novo hoc vitae genere id primum curavit, ut omnes Inſtituti leges obſervaret abſolutiſſime; poſtea ſi quid otii reliquum fieret, id omne in geometricas ſpeculationes impenderet. Vix autem elapſis octo menſibus, ſatis ſuperque probatus multo cum animi fervore in Monaſterio S. Michaelis ſolemni ritu votis ſe obſtrinxit. Tum vero quietem & ſeceſſum, quem tamdiu exoptaverat, nactus, totos ſolidos dies in meditatione curvarum, & calculis analyticis inſumebat, poſtquam ea, quae ad pietatem pertinent, accuratiſſime impleviſſet. Inter primos enim Italorum fuit, qui

in compendioſum quidem, ſed aeque ſalebroſum & aſperum hunc callem ſe inducere auſi ſint, quando nempe nova ac recondita haec methodus ab iis ipſis, qui in exteris regionibus eam invenerant, ſive auxerant, impenetrabili myſterio ita tegebatur, ut praeſtigio propior, quam ſcientiae videretur. Sub finem anni MDCCXXVII. Patavium conceſſit, ut ſtudia ſua communicaret cum duobus geometriae veluti luminibus, quos nec nominare fortaſſis opus fuerit: omnes enim facile intelligent March. Polenum & Com. Riccatum, a quibus ſingulares cuique obſervationes & feliciora inventa excerpere deſtinaverat. Ibi alios quoque praeſtantiſſimos celeberrimi illius Collegii Profeſſores, inter quos praecipue Rivam, audiebat ſaepiſſime, & officioſe proſequebatur. Sed neminem unum obſervavit magis coluitque quam Com. Riccatum, ad quem in Francorum caſtro agri Tarviſini oppido degentem ſaepius commeare ſolebat, non aeris inclementia, non imbribus, aut difficultate viarum unquam deterritus. Imo etiam eo loci hoſpitium conduxit, quo commode magis liberiuſque tanti

viri

viri conſuetudine uteretur. Quin etiam, ubi ſuborta eſſet aliqua difficultas, eum per litteras interrogabat, quod poſtea etiam continuavit cum doctiſſimo ejus filio Com. Jordano, cujus judicium plurimi faciebat. Eo ipſo tempore mechanicas Inſtitutiones, quibus motuum leges, adhibito infinitorum calculo, inveſtigavit, elucubratus eſt, quas ſi in publicum ſtatim emiſiſſet, non profecto alii multi, qui poſtea ſecuti ſunt, hunc gloriae campum, quaſi a poſſeſſore vacuum, occupaſſent, & Ramiro hanc laudem praeripuiſſent. Nec eſt cur dubitari poſſit nos praepoſtero officio velle per commenta hoc decus Rampinellio aſſerere; extant enim adhuc ejus ſcripta cùm notis temporum, & tot hujus rei teſtes adhibere poſſumus, quot auditores ſequentibus proxime annis Bononiae habuit. Quin hoc etiam ſatis erui poſſet ex litteris ejuſdem Non. Jan. an. MDCCXXIX. ad laudatiſſimum Jacobum Riccatum miſſis. Tractatum vero trigonometriae tam planae quam ſphoericae, qui pariter lucem expectat, ingenue fateor me non habere cur huic tempori praeciſe adſcribam. Sed Rampinellio

id Patavii jucundiſſimum accidit, quod Mazino primo magiſtro ſuo, tum quidem ad primariam medicinae theoricae cathedram evecto, beneficium referre potuit. Etenim hunc in calculis analyticis implicitum, haerentemque extricavit, & ut gratiſſimo erat animo, ea omnia huic tribuit, ut non ſolum ab alumno, ſed nec plura a parente proficiſci potuerint. Extra autem hujus ſcientiae fines frequentiſſime audiebat, colebatque clariſſimum Lazarinum, admirans in eo homine Latini ſermonis puritatem, quam tunc quidem ſentiebat potius ſibi deeſſe, quam unquam tentaſſet aut retinere; aut acquirere. Tum vero coepit diurna nocturnaque manu optimos aurei aevi ſcriptores verſare, & ſtilum ad eorum imitationem caſtigare & ſubigere, cujus quidem laboris uberem fructum poſtea tulit. Ineunte deinde vere anni MDCCXXXI. Romam profectus innotuit ſtatim doctiſſimis viris Galliano & Leprotto, apud quos famam, quam de ſe abſens excitaverat, praeſens auxit. Nec conſpiciendis veterum monumentis, quorum cauſſa praecipue in Urbem venerat, adeo indulſit, quin

multum temporis dilectis ſuis ſtudiis ſeponeret, imo eo anno, quo Romae moratus eſt, illuſtrem auditorem habuit, eumque mathematicis diſciplinis optime inſtituit, Joſephum nempe Orlandum Ord. S. Coeleſt., quem poſtea in regio Neapolitano archigymnaſio Profeſſorem, ac demum Epiſcopum vidimus. Dum Romae adhuc ageret, & tot Urbis urbium pulcherrimae ſeu vetera, ſeu recentiora aedificia luſtraret, abjecto jampridem rei militaris ſtudio, cujus nullum fore ſibi uſum viderat, curas ſuas tranſtulit ad civilem architecturam. Brevi in hac quoque parte non mediocrem peritiam adeptus eſt, nam cujuſcumque ordinis modulos & ornatum ita callebat, ut primo fere obtutu deprehenderet ſi quae membra a praeceptis artis, aut meliorum opificum monumentis vel tantillum aberrarent. Neapolim poſtea adiit, ibique doctiorum virorum amicitiam iniit, & in primis celebris Nicolai Martinii, cujus benevolentiam ſummopere ſibi devinxit. Cum igitur doctrinas, quas undequaque collegerat ſuis in dies meditationibus augeret, fama ejus nominis ad moderatores ſuae Congregatio-

nis pervenit, iique ad inſtituendos mathematicis diſciplinis Monachos, eum Bononiam revocarunt. Nec ſpem fefellit eventus; ſiquidem ex frequenti ſelectiſſimorum juvenum auditorio, veluti a quodam geometriae ſeminario complures prodiere, qui hiſce ſtudiis Bononiae non leviter initiati, & poſtea late per totam fere Italiam diſtributi, hanc ſcientiam veluti novam mercem remotis regionibus intulerunt, alioſque ſubinde ad eam colendam excitarunt. Sed inter alios longe eminebat nobiliſſimum illud auditorum par, Pozzius ſcilicet & Sommariva, quorum ſi nomina hic reticerem, male me laudibus Rampinellii conſuluiſſe ac proſpexiſſe exiſtimarem. Eorum enim alter Romae in publicis Sapientiae ſcholis mathefin ſummo cum plauſu interpretatur, alter vero aeque feliciter eodem munere fungitur Bononiae apud ſuos, de ſe in dies majora promittens. Sinant igitur duo hi praeſtantiſſimi viri nomen ſuum in elogium Rampinellii, ceu eorum teſſeram, ſymbolamque a me conferri, nec longinqui, ac plane ignoti hominis leve hoc de eorum meritis pro re nata teſti-

monium velint deprecari. Ceterum a Bononienſibus, apud quos magnum ſui deſiderium diſcedens antea reliquerat, cupidiſſime rurſum exceptus eſt. Hic phyſicas Inſtitutiones perfecit, in quibus & univerſam pene phyſicam eidem infinitorum calculo ſubjecit, & ea, quae prius de motus legibus commentatus fuerat, inſeruit. Jamque doctiſſimorum civium, qui frequentes ad eum conveniebant, colloquiis fruebatur, jam innoteſcere quoque, & coli coeperat apud exteros, qui non levem jacturam ſe facere putabant, ſi illo inviſo praeterirent, jam denique inclyta illa urbs acerrimo in aeſtimandis ingeniis judicio, quo arctius Rampinellium ſibi obſtringeret, publicum ei munus deſtinabat, cum repente eorumdem Moderatorum juſſu illam derelinquere coactus eſt invitus invitam. Ob eamdem cauſſam, qua Bononiam adierat, Mediolanum anno MDCCXL. transfertur, eo ſcilicet eorum, qui id curaverant, conſilio, ut ejus doctrina latius emanaret, & ad plures diffunderetur. Quadam vero felicitate factum eſt, ut eo tempore Mediolani quoque ageret praeſtantiſſi-

ma, & per totam Europam celeberrima illa virgo Cajetana Agneſia non minus morum integritate, quam ingenii acumine maxime commendanda, & quam jure quidem appellaveris noſtrorum temporum, & ſui ſexus ornamentum. Haec puellari adhuc aetate mathematicis ſtudiis non mediocriter imbuta fuerat ab Abb. Tagliazucco, quem poſtea Sardiniae Rex ad publici Profeſſoris munus evexit in Regio lyceo Auguſtae Taurinorum. In rebus autem philoſophicis audiverat celebrem Andream Caſatum Cl. Reg., qui pariter ab eodem Rege eodem in archigymnaſio ad aliam cathedram nominatus eſt, & deinde Pontificalibus quoque infulis decoratus. Verum cum praeclariſſima virgo incredibili rapiditate, quodcumque vellet, addiſceret, & ſimul cupiditate inexplebili plura diſcendi flagraret, cumque ad altiores ſpeculationes in dies ſemper aſſurgeret, ſtatuit demum Rampinellium ad ſe vocare, cujus ope & conſilio ſeſe ab abſtruſiſſimis difficultatibus explicaret. Ille nactus promptiſſimum hoc ingenium, quod adeo excitari non egebat, ut retineri vix poſſet, brevi ad ſum-

mum algebrae apicem perduxit. Hinc eo praeeunte prodiit Mediolani an. MDCCXLVIII. celebratiſſimum illud opus Inſtitutionum analyticarum, cujus quam partem vindicare ſibi poſſet Rampinellius per ipſum quidem adhuc in occulto foret, niſi modeſtiſſima aeque ac doctiſſima virgo ſumma cum grati animi ſignificatione id omnibus teſtatum in praefatione voluiſſet. De hujus autem libri pretio poſt luculentiſſimum, quod de eo edidit, teſtimonium Regia Scientiarum Academia Pariſienſis, ſupervacuum ſane foret, ſeu potius ridiculum & ineptum velle aliquid adjicere. Praeſtantiſſimi enim ac doctiſſimi Socii, qui ab inclyto illo coetu ad inſpiciendum librum ſelecti fuerunt, Mairanus ſcilicet & Montignius una cum Fouchio a ſecretis in elogio, quod typis excuſum eſt anno MDCCXLIX., diſertiſſime teſtati ſunt, nullum adhuc apud quaſque nationes uſque ad haec tempora opus in eo genere omnibus adeo numeris abſolutum prodiiſſe. Haec ego, ne de ſingulari ac lectiſſima hac femina deque ejus libro narrationem abrumperem, huc uſque perduxi; ceterum antequam liber evulgaretur,

commotus jam Rampinellii fama Senatus Mediolanenſis anno MDCCXLVII. ei publicum matheſeos docendae munus in Ticinenſi lyceo ultro obtulit, quin ipſe inter candidatos nomen ſuum de more profiteretur. Acceſſit huic graviſſimo ampliſſimi Ordinis judicio aliud ſingulare beneficium; nam ei duplicavit ſtipendium, & facultatem dedit, ſeu libros, ſeu inſtrumenta, quae ſuis ſtudiis uſui forent, aere publico comparandi. Solemni hoc decreto ex ſuis latebris in publicam lucem extractus id unum in primis laboravit, ut ne tam gravi judicio impar, ut ne tanti beneficii immemor videretur. Ceterum de prima vitae conſuetudine nihil detraxit, aut immutavit, aeque ac prius acceſſu facilis eadem, qua antea, modeſtia, ac pene puellari verecundia, ſumma erga collegas reverentia, nulla adverſus quemque aemulatione, aſſidue ac diligentiſſime omnes muneris ſui numeros implebat. Incredibili profecto erat erga auditores humanitate ac patientia; ſicubi enim quem paulliſper aliquando haerere ſenſerat, eum ſtatim adibat, & ſumma cum comitate difficulta-

tes extenuando ita recreabat, ut nonnullos ego noverim, qui hujus ſcientiae aſperitate deterriti animum deſponderant, & retro jam cedere deſtinaverant, quos ille adeo fovit, & in ſpem meliorem erexit, ut feliciter poſtea hunc curſum nec ſine plauſu confecerint. Quamobrem non ſemel ab eo audiviſſe memini, ſaepe illum ſibi ingenium torſiſſe, ut diverſas eamdem veritatem docendi methodos excogitaret, quas quiſque ſibi temperaret pro ingenii ſui modo atque accommodaret. Verum haec ſtudia non in umbra tantum coluit, ſed in campum pulveremque eduxit. Nam Parpanenſi praedio in ultima ora agri Mediolanenſis ſito magno in periculo verſanti, quippe cujus aedibus & campis Padus minaciter immineret, opem tulit. Ibi non ſolum adverſus vim fluminis, quod objectis molibus aggeribuſque difficulter compeſcuit, ſed adverſus etiam accolarum imperitiam, & detrectationes diu eſt conflictatus. Cum enim noſter crates viminibus contextas apte diſponendo rem conficere inſtituiſſet, illi vero munimenta ſumptuoſis arborum trabiumque contignationi-

bus inſtaurari de more contenderent, nihilque aliud facere aut ſcirent, aut vellent, quam quod ſemper feciſſent, aegre admodum evicit, ut totius rei gerendae modus arbitrio ſuo permitteretur, ipſi porro mandata non abnuerent. Imo non levem habuit cauſſam ſuſpicandi, aliquos ex grege operariorum, ut eſt contumax iſtorum hominum ingenium, adeo iniquae mentis fuiſſe, ut opera, quae ipſe praeſcripſerat, conſulto vitiare & corrumpere tentaverint. Senſit invidiam novorum aggerum Rampinellius, ſimulque fraudem & dolum, ſi forte ſubeſſet, veritus, ſtatuit praeſens inſtare operi, attentiusque incumbere, ut omnia ſuis oculis ſubjicerentur, quod dum conſtantius exequitur in paludoſo ſolo & graviore aere, fortaſſis tum jacta ſunt ſemina illius morbi, quo poſtea correptus eſt. Sed aliqui etiam ex fundorum dominis, qui prope flumen praedia poſſidebant, fidem Rampinellio non adhibuerunt, ſuoque ſibi ingenio ac more munimenta ſtruxerunt; qui poſtea magno quidem ſuo malo ſenſere, quam injuria ab illius mo-

nitis & ſententia defeciſſent. Siquidem primo aquarum incremento ea opera omnia disjecta & avulſa Padus ſecum abſtulit, uti eventurum noſter paullo ante praedixerat. Extant in Ticinenſi Monaſterio ejus commentarii, in quibus videre poſſis, quomodo non ſolum praeſenti periculo cavit, ſed futurae etiam ſecuritati proſpexit, quaſque ille regulas in extruendis, collocandiſque molibus praeſcripſit. Eae etiam nunc multo cum ſucceſſu ſervantur ab inſigni machinatore Gottardo Jornio ejus diſcipulo & talium rerum peritiſſimo, ut plane his in ſcriptis, & hoc in alumno vivere adhuc Rampinellius, aggeres moliri, & infenſiſſimum hoſtem jugulo illius populi imminentem arcere adhuc & depellere videri poſſit. Sed alias quoque ſelectiſſimas obſervationes collegerat, ex quibus utiliſſimi tractatus conficerentur, quos ne in lucem emitteret nimia eum modeſtia aliquando, demum mors immatura prohibuit. Quoties enim urgeretur, ut aliquid typis evulgaret, per luſum dicere ſolebat, dum nihil ſcriberet, ſe praeclare conſulere commodis lit-

terariae ſocietatis, quae aliter conſtare non poſſet, niſi aliqui a ſcribendo manus abſtinerent: quando nempe omnes de omnibus pene rebus ſcribunt, periculum fore, ne ſcribentium nimia multitudo extremam faciat legentium caritatem. Nihilominus vim modeſtiae ſuae intulit, ut debitum perſolveret, ſcilicet ut Senatui, a quo ita ornatus auctuſque fuerat, cultum & obſequium ſuum teſtaretur, & gratias, quas animo habebat, publice etiam aliquo modo referret. Igitur ipſum de optica tractatum ſub auſpiciis ampliſſimi Ordinis emittere deſtinavit, & editionem jam adornabat, cum graviſſimo apoplexiae morbo laborare ita coepit, ut pene conclamatus fuerit. Poſt aliquot menſes remiſſa vi morbi, ut magis convaleſceret, in patriam rediit. Hic, abjectis omnibus curis, vires refecerat, & priſtinam fere animi & corporis alacritatem reſumpſerat, cum Mediolanum reverſus VI. Id. Feb. an. MDCCLIX., repetito ejuſdem morbi ictu, extremum diem obiit. Antequam moreretur Clar. Viro Caeſareo Sommarivae eniziſſime commendavit editionem

hujus operis, cum & opus ipſum ejus judicio jam antea ſubjeciſſet. Eodem conſilio ſub vitae finem, dum Brixiae adhuc moraretur, de hac re cum typographo egerat, & quo omnia accuratiſſime fierent oraverat Clar. Virum Joannem Baptiſtam Scarellam Cler. Reg. doctrina & ſcriptis celebrem, ut typis emendandis praeeſſet; quam quidem operam, eo quo eſt erga Auctorem, & haec ſtudia animo, ſumma cum diligentia, ac ſolertia fideliter navavit. Fuit Rampinellius eximia erga Deum pietate, integerrimis moribus, ſumma ingenuitate, atque animi candore prope ſingulari. Uſque ad ſexageſimum aetatis annum, quo eum primus apoplexiae ictus adflavit & pene adflixit, valetudine proſperrima uſus eſt; nam vel levibus morbis rariſſime fuit tentatus, licet cibi ac potus, citra tamen intemperantiam, foret aliquantum largioris. Pertinaciſſimum enim tot annorum ſtudium, tot vigilias, quae ſaepe alios labefactare, aut conficere etiam ſolent, athletica ille quadam corporis firmitate facile tolerabat. Sed id praecipue mirandum, quod cum ſe-

ptem, aut octo horarum jugi contentione in extricandis complicatiſſimorum problematum difficultatibus inſudaſſet, redibat poſtea in conſortium amicorum ea animi tranquillitate, ea vultus ſerenitate, ac ſi ludicro alicui ſpectaculo interfuiſſet. Nemo Ramirum vidit triſti ſupercilio, nemo contumaci ſilentio haec ſtudia prae ſe ferre. Cum enim manum a tabula levabat, & libros claudebat, videbatur ſpeculationes ſuas in iiſdem libris clauſiſſe, & veluti a ſe ipſo diviſus geometram in ſcripta ſua relegabat, ut amicis amicum redderet: in hoc etiam celeberrimo Newtono comparandus, qui cum eſſet rei monetariae apud Anglos Praefectus ita alacriter munera ſummi illius Magiſtratus obibat, ut nemo ex ſuis collegis eum tunc prae manibus habere altiſſimum illud ſyſtema, quod poſtea prodiit, vel leviter poſſet ſuſpicari. Verborum equidem a natura fuit parcior, ſententiis brevioribus, & ad rigorem geometricum exactis, quem tamen fere ſemper comitate, jocis ac ſalibus temperaret. Poſtquam geometriae ſe totum devoverat; de

theologicis ſuis ſtudiis ea ſolum retinuit, quae ad excitandam ſovendamque pietatem conferrent; ceterum a quaeſtionibus, quae inter noſtros etiam ſtudio partium acriter ſaepe agitantur, religioſe abſtinuit, ita ſemper compoſitus, ut in neutram partem conſpici poſſet, quamvis ab omnibus praeſidiis eſſet paratus & inſtructus, quibus poſſet & ſubtiliter diſputare & recte judicare. Iiſdem principiis imbuit circumſpectiſſimam Agneſiam, de qua ſupra retuli; nam haec quoque in conventibus nobiliorum feminarum, quae intemperantia ſeu ſexus, ſeu temporum hiſce diſputationibus frequenter ſe immiſcere ſolent, ſemper aut eleganti aliquo temperamento hujuſmodi ſermones alio deflexit, aut graviſſimo ſilentio filum diſceptationis abrupit. De ſe deque rebus ac ſtudiis ſuis atque honoribus ſibi habitis nunquam niſi coactus, & tum quidem verecundiſſime loquebatur; alios vero, ubi occaſio ferret, pro meritis aequiſſima diſpenſatione ſemper ornavit, tam procul a faſtidio & contemptu, quam ab aemulatione & malignitate. In hoc

doctis certe exemplum propoſuit, quod ſi qui moderatione animi eo uſque pervenerint, ut famam ſui non affectent, aut negligant, id quoque addere velint ut nec alienae invideant detrahantque. Verum omni elogio major in hoc viro laus conſtantis ac perpetuae modeſtiae fuit; nam licet ultra geometram varia ac multiplici eruditione ornatus & excultus foret, nunquam tamen nec apud exteros, nec inter amicos, nec etiam ubi res opportune ceſſerat, ingenium, aut doctrinam oſtentavit. Ita ſaepius evenit, quod ait Tacitus de Agricola, ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aeſtimare mos eſt, viſo aſpectoque Rampinellio quaererent famam, pauci interpretarentur. Singulari etiam fuit erga matrem pietate, quam viduam & ſenio confectam (marito enim diu ſuperſtes fuit) ut praeſentia ſua ſolaretur, fere quotannis autumnali tempore Mediolano Brixiam ventitare ſolebat, poſthabitis amicis, quorum conſuetudine ceteroquin mirifice delectabatur, & relictis amoeniſſimis tot Procerum Mediolanenſium villis,

lis, ad quas ſtudioſe & enixe erat invitatus. Gratia vero, qua apud eoſdem Proceres plurimum valebat, nunquam aliter, quam in juvandis tegendiſque amicis uſus eſt. Denique is ille fuit, quo haud facile virum magis probum, raro profundiorem geometram, meliorem vero amicum vix inveneris. Haec habui, V. C. quae, ut voluntati tuae obſequerer, de Rampinellio ad te ſcriberem. Nec diſſimulaverim me libentius multo, quam inchoaveram, haec proſecutum fuiſſe, eo animo, ut civitatis noſtrae decus pro re nata & pro viribus quodammodo vindicarem. Paſſim ſcilicet ut craſſioris Minervae homines traducimur, & ſaepius apud exteros audimus, quod de Thebanis olim dictum fuit, nobis nempe plus virium ineſſe, quam ingenii. Mihi vero cauſſas opinionis tam parum aequae inveſtiganti non aliae occurrunt, niſi quod partim noſtrarum rerum & laudis civium noſtrorum incurioſi ſimus, partim quod modeſtia, quae in Rampinellio fuit ſumma, univerſim etiam noſtrae gentis ſit propria. Ego ſicut inſtitutum & induſtriam illarum civitatum ultro laudaverim, quae re-

bus ſuis etiam exiguis pretium addunt, dum eas in lucem proferunt, illuſtrant, atque accuratiſſime concinnant, ita aequo animo ferre non poſſum, nos inclementer nimis ignorantiae damnari, quod noſtras ambitioſe non efferamus. Utcumque tamen alii ſentiant, id unum in praeſentia intelligi velim, nobis potius artem, aut ſtudium, quibus noſtra ornemus, quam ea, quibus ornemur, deeſſe. Vale V. C. & me tui obſequentiſſimum amare perge.

Brixiae prid. Kal. Junii an. MDCCLX.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Benedicto Staio

Pii VI. Pont. max. ab Epistolis.

S. D.

Saepe quidem evenire videmus, *doctiſſime Stai, ut qui primas tenent in mathematicis diſciplinis, vix in ſecundis tertiiſque conſiſtant, cum phyſica tractant, quod haec patientiam omnino incredibilem requirant, & quod rationes & viae, quae adjuvant mathematicos, qui ſaepe per incognita verum aſſequuntur, phyſicos in errorem facile inducant. Adde quod experientiam, quae ceteris omnibus inquiſitionibus praeire deberet, calculos ſuos ſubſequi illi cogunt, quaſi natura horum imperio prorſus fuerit ſubjecta, & quibus regitur ipſa, leges ſub analyticorum ſignorum involucris tegerentur. Gloriabatur Leibnitius ſe novum & ſimplex genus induxiſſe explicandi naturales effectus, cum omnia ad cauſſas, ut ipſe appellabat, finales referenda eſ-*

ſe doceret; & ſane cognito fine, quem naturae Auctor ſibi propoſuit, multorum effectuum ſatis probabiles cauſſae afferri poſſe videbantur. Verum re propius inſpecta, homines ſapientia clari lepide magis quam religioſe pronuntiarunt (*) *qui hoc ſterili genere philoſophandi uteretur, ſimilem fore Virgini, quae Deo ſe ſe vovit, in qua omnis ſoecunditas extincta eſſe videtur. Eſto, nihil fieri ſine ſufficienti, ut loquuntur, ratione, & vias naturae ſimpliciſſimas eſſe: ſed quid inde? Si ad hoc principium omnem effectuum explicationem accommodare voluerimus, augebimus, addemus, accumulabimus errores ex vero; imitabimurque ſtultitiam Tacqueti Jeſuitae, qui cum quaedam catoptrices phaenomena omnino adverſari intelligeret dogmati illi, in quo provehendo totus is quidem erat, naturam breviori ſemper incedere via, hanc pauca ſibi reſervaſſe dicebat, in quibus longiori iret. Admiratus quidem ſemper ſum Grandii prudentiam, qui cum ſuſciperet phyſica tractanda, animo & mente circumſpiciebat quae cavenda ac providenda eſſent, ne ſpecie veri deciperetur; & quamvis rei difficultas exigeret ab eo, ut ad hydroſtaticam res ma-*

(*) Vid. Alembertium *Eloge de M. Bernoulli*.

thematicas, quae in ea quidem inſignem & illuſtrem uſum habent, transferret, ſemper tamen ei curae erat, ut antea interrogaret naturam ipſam, & cum ea quodammodo colloqueretur interpres voluntatis illius, num ſubire potentiam geometriae vellet. Quod ad cauſſas vero finales pertinet, de quibus ſupra meminimus, & quae omnium ſermone tum celebrabantur, his locum eſſe poſſe contendebat non modo in phyſica, ſed etiam in analyſi, dummodo quis caute pedetentimque ad eas accederet. Cum enim mundi fabrica ſit omni ex parte a ſapientiſſimo Conditore perfecta atque abſoluta, nihil omnino in hac rerum natura accidere debet, in quo non maximi minimive ratio quaepiam eluceat; quamobrem minime in dubium revocari poſſe videtur, quin omnes naturales effectus ex cauſſis finalibus, ope methodi maximorum & minimorum aeque feliciter explicari queant, atque ex ipſis cauſſis efficientibus. Sunt hae quidem interdum ita abſconditae atque obſcurae, ut male quis de philoſophia mereretur, niſi in ſubſidium finales cauſſas advocaret. Fieri etiam poteſt ut utriſque in problematum ſolutione percommode utamur, tumque vel maxime voluptati ſerviemus, & ma-

majorem etiam fidem, & auctoritatem, & firmamentum duplicis argumenti conſenſu veritati adjungemus. Hoc *modo Bernoullii fratres, & recentiſſime Eulerus* (1) *ad magna inventa pervenerunt, & ipſe Grandius ingenue fatebatur in omnibus lineis curvis, quas ſolutio problematum phyſico-mathematicorum ſuppeditat, maximum minimumve quodpiam locum obtinere; quamvis ſaepenumero hoc ipſum maximum vel minimum difficillime perſpiciatur. Pauca haec in ingreſſu hujuſce commentarioli adnotare libuit, ut ſtatim intelligeretur quantam prudentiam Grandius ad diſciplinas, quas profitebatur, contulerit; & quamvis arctiore & ſanctiore foedere experimentorum & geometriae multa nova detexerit, hoc tamen unice ſibi aſſumere videbatur, quod de Alexandro dixit Livius,* ſe non aliud quam bene auſum vana contemnere. *Cum vero a diſcipulis exigeret, ut veſtigiis ſuis inſiſtentes caverent a corruptoribus philoſophiae, qui ſcholas fere omnes tenebant, ſermone ſaepe eo utebatur, qui erat expreſſus ex* novo orga-

(1) Vid. ejus opuſculum *de Curvis elaſticis.*

no Verulamii (1). Empirici, *ajebat vir ille immortalis*, formicae more congerunt tantum & utuntur: rationales aranearum more telas ex ſe conficiunt: apis vero ratio media eſt, quae materiam ex floribus horti & agri elicit; ſed tamen eam propria facultate vertit & digerit. Neque abſimile philoſophiae verum opificium eſt; quod nec mentis viribus tantum aut praecipue nititur, neque ex hiſtoria naturali & mechanicis experimentis praebitam materiam, in memoria integram, ſed in intellectu mutatam & ſubactam reponit. Itaque ex harum facultatum (experimentalis ſcilicet & rationalis) arctiore & ſanctiore foedere (quod adhuc factum non eſt) bene ſperandum eſt. *Haec cum multorum auribus inculcaret Grandius, gaudebat voces ſuas hanc vim habere, ut ad haec*

(1) Hoc ipſo in loco Verulamius comparat phyſicam magnae pyramidi, cujus baſim eſſe ait naturalem hiſtoriam, medium componi ex potentiis & principiis, quibus natura regitur, in extremo vero eſſe partem illam metaphyſicam, quae eſt de cauſſis finalibus. Vereri tamen ſe ait ut homines faſtigium iſtud unquam perfecte teneant.

ſtudia plures confluerent, vel ut totum aliquid; cujus in ingeniis illorum pars nulla erat, ipſe pareret & procrearet, vel ut ea, quae erant jam in iiſdem orta & procreata, educeret atque confirmaret. Hoc unum porro deeſſe ſummi viri gloriae videtur, ut quoniam maximis impediris occupationibus, quominus de eo ſcribas, ſcripta ſaltem a me de eodem emendes & corrigas, quod poteris facile, quod ſis hominum in mathematicis & philoſophicis rebus doctorum elegantiſſimus, & elegantium doctiſſimus. Quod quidem plura declarant a te in lucem emiſſa, ſed praeſertim quae de Carteſiana, & Recentiorum philoſophia carminibus Latinis expoſuiſti. At non minus, cum haud philoſopharis, intelligimus quam in mathematicis ſtudiis ſis verſatus. Sic enim perſuadendo non ſolum, ſed etiam cogendo ad veritatem omnes prope compellis, ſic inſtruis, digeris, atque componis ea, quae vel ſcripto, vel voce explicas, ut haec profluxiſſe ex mente in geometria aſſidue exercitata (illa enim duo praeſertim ſibi vindicat haec ſcientia) ſatis appareat. Omnino, ut eſt praeclarum Galilaei dictum, uſuvenire ſolet geometris, quod iis qui

choreas agere, & ad numerum ſaltare aſſueverunt. Quamvis enim intimis ſaltationis praeceptis in inceſſu non utantur, tamen ex ipſo totius corporis motu patet, an ſaltare didicerint. Vale, & talem te praeſta, ut me, & Grandii dignitatem tibi cordi eſſe omnes intelligant.

Piſis Id. Maii MDCCLXXXI.

Digitized by Google

GUIDO GRANDIUS.

GUido Grandius Cremonenſis fuit ſine dubio vir omni doctrina, ac praeſertim mathematica ornatiſſimus; de quo plura fortaſſe referremus, niſi extaret de ejus vita ſingularis liber a Benedicto Horteſio ejus diſcipulo diligentiſſime copioſiſſimeque Italico ſermone conſcriptus. Etſi pater ejus Petrus Martyr honeſto genere erat (1), tamen, cum alienarum opum indigeret, phrygioniam exercuit artem; habuitque in matrimonio Catharinam ſororem Laurentii Legati, quem Graecis litteris, medicina, poetica, editoque in Muſeum Coſpianum opere illuſtrem virum honoris cauſſa nomino. Guido iis parentibus natus eſt Kal. Octobr. an. MDCLXXI. Diligentia praeſertim matris, bonae nec mediocris ingenii feminae, fuit a puero doctus Latinis litteris & in arte poetica exercitatus; magiſtris vero uſus eſt Jeſuitis Paullo Roſſio & Hieronymo Saccherio, qui fuit mira quadam facultate ingenii & memoriae, & Jo. Baptiſta Canneto viro omni genere

laudis excellenti, quem collegam etiam habuit in ſodalitate Camaldulenſium. Hanc enim Grandius ingreſſus eſt Ravennae exeunte anno MDCLXXXVII. Doctus ibi a Galaminio ad Peripateticorum philoſophiam, haud poterat in ea acquieſcere adoleſcentis animus, qui ex veritate, non ex opinione auctoritateque omnia metiebatur: quare, ut hujuſmodi philoſophiae aſperitatem, quaſi condimento amoenitatis mitigaret atque molliret, ſaepe ſe ad ſtudia poetica atque oratoria referebat. Atque in his ſtudiis quantum profeciſſet, cum deſiderio arderet oſtendendi moderatoribus ſuis, ab his obtinuit, ut novam inſtituere poſſet Academiam (erat enim alia inſtituta a Canneto ad eaſdem artes excolendas, ad quam tyronibus coenobii erat aditus interclufus) quae, quod aemula eſſe volebat alterius laudum, dicta eſt *de' Gareggianti*. Legi libellum, quem de hujus Academiae hiſtoria Grandius ipſe conſcripſit, ex quo intelligere potui ſaepe in ea lumen ingenii ſui eumdem oſtendiſſe modo Italicis, modo Latinis carminibuſque orationibuſque, judicatumque de eo fuiſſe, ſeria docte erudi-

teque, jocoſa lepide ſemper ipſum tractaſſe. Ex hac Academia binas alias generatas accepimus; haſque omnes, quoad ſtetere, laudabili aemulatione inter ſe concertaſſe. Neque haec ſolum glorioſa Grandio fuere, ſed illud etiam in primis, quod inter erroris & inſcitiae caliginem, qua humaniores litterae ſuperiori ſaeculo miſere obruebantur, ipſe ad optimorum ſcriptorum tanquam lumen ac lucem reſpexerit, & alios, nonnullis licet reclamantibus indignantibuſque, reſpicere docuerit. Cum vero pulcherrimam in ſpem veniſſet veterem eloquentiam ſuis Monachis reſtituendi, & quemadmodum ipſe Catulli verbis loquebatur, *Suffenos & venena omnia* e manibus hominum extorquendi, dandam a ſe operam putavit, ut cultiſſimi aliqui ſcriptores ex abdito bibliothecarum, ubi deliteſcebant, in lucem emitterentur. Quam in rem dum ſedulo incumbit, Romam a majoribus mittitur ad excolenda rerum divinarum ſtudia, in quibus & Scholaſticorum & Galaminii, a quo inſtruebatur, inſulſitates & ineptias perferre debuit. Quidquid vero temporis illi vacabat a ſchola in evolvendis ve-

teribus monumentis libentiſſime inſumebat; nec facile quem dixerim, plus ſtudii acuminiſque, quam illum ad originem, omnemque hiſtoriam ſuae ſodalitatis cognoſcendam adhibuiſſe. Quapropter, cohortante maxime Canneto, & Martyrologium Camaldulenſe conficere, & S. Romualdi vitam a S. Petro Damiano conſcriptam, copioſiſſimis commentariis Monachorum hiſtoriam in primis illuſtrantibus, ornare facile potuit. Sed horum ſtudiorum fructus maximi fuere *Diſſertationes Camaldulenſes*, quem tamen librum non edidit niſi an. MDCCVII., quod illum & limari politius & probari doctiſſimorum hominum judicio, antequam ederetur, voluit. Quae quidem judicia non tam grata, quam neceſſaria erant. Magna enim conſtituta & parata erat Grandio adverſaria, credulitas ſuorum, qui cum primordia ſodalitatis auguſtiora facerent, non tuliſſent, non dicam refelli, ſed in dubium revocari quaedam, quae opinioni ſuae blandirentur. In his viſum illud Romualdo divinitus objectum ſcalae neſcio cujus; alia praeterea ejuſdem modi, quae poeticis magis decora fabulis, quam

incorruptis teſtata rerum geſtarum monumentis feruntur. Hae diſſertationes, quarum prima eſt *de Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis*, altera *de aetate S. P. Romualdi*, tertia *de viſione ſcalae ejuſdem & habitus mutatione praetenſa*, quarta demum *de S. Petri Damiani & Avellanitarum Inſtituto Camaldulenſi*, principium eſſe debebant annalium totius familiae Camaldulenſis, ad quos contexendos tum ſua ſponte, tum aliorum cohortationibus incitabatur Grandius. Sed ab hoc opere illum avocarunt non tam injuſtae ſuorum querelae, quam flagrans in res mathematicas amor, ac prope incredibilis, ab iis profectus initiis, quae ad hactenus dicta adtexemus. Poſtquam anno MDCXCIV. in ſodalitatis comitiis ſubiiſſet majorum ſuorum judicia, allatis in medium, publiceque propugnatis ex univerſa theologia ac philoſophia theſibus, in quo ita ſe geſſit, ut neſcias, plures ne delectaverit mirum propugnatoris ingenium, an offenderit non bene ab illo declaratum in Peripateticos Scholaſticoſque ſtudium, Florentiam miſſus eſt ad tradendam ſuis philoſophiam. Ibi caſu magis, quam judicio ſum-

pſit in manus Carteſii opus, quod de *Principiis* inſcribitur. Incenſus cupiditate omnia perfecte tenendi, quae in hoc opere continentur, dedit ſe in geometria inſtituendum Sebaſtiano Franchio, quo medico & amico utebatur Franciſcus Caramellius coenobii Praeſes. Ita celeriter Euclidis elementa arripuit Grandius, ut ea non tum primum ediſcere videretur, ſed reminiſci & recordari. Quare minime eſt mirandum, ſi ei Franchius praedixerit fore aliquando ipſum longe omnium in mathematicis doctrinis principem. Porro eo brevi pervenit Grandius, ut non ſolum celebriorum Geometrarum inventa per ſe noſcere, ſed nova etiam ex ſe gignere potuerit, inter quae nonnulla theoremata fuerunt de concoidibus, & ciſſoidibus, quae etiam poſtquam omnem aetatem in hujuſmodi ſtudiis conſumpſerat, ſibi perplacuiſſe affirmavit. Eodem tempore elaboravit etiam, ut opus quod ante quinquennium fecerat de muſica, geometria duce, poliret atque perficeret. Totum illud XXIV. propoſitionibus concluſit, qua circumſcriptione nihil elegantius & ingenioſius; neque id tamen ſatis un-

quam dignum putavit, quod in lucem hominum prodiret. Haec quoniam occulta & abdita intra coenobii parietes erant, caſus incidit, quo brevi illuſtris & pervagata fuit ſama de Grandii doctrina apud Florentinos. Accitus Florentiam fuerat nobilis quidam Germanus cognomine Bodnauſenius, ut ab eo Ferdinandus Magnus Etruriae Princeps in doctrina morum inſtrueretur. Is, ut erat in analyſi, ceteriſque mathematicis diſciplinis non mediocriter verſatus, quaeſivit illico, quoſnam haberent in iiſdem diſciplinis praeſtantes viros Florentini? Cum audiiſſet unum inter omnes excellere Vivianium, convenit hominem illud rogitans, ut ſibi punctum flexus in concoide primaria inveniret. Non invenit, ſua ſynteſi uſus, Vivianius, quod cum relatum eſſet ad Grandium, quid ipſe poſſet, voluit experiri. Eventus ei ex ſententia proceſſit; neque eſt credibile ad quantam admirationem haec res Vivianium, Bodnauſenium, ceteroſque rerum mathematicarum intelligentes viros traduxerit. Quae non multo poſtquam acciderant, adivit Grandius Vivianium, quo ei ſola-

ſolarium a ſe confectum oſtenderet, rogaretque ab illo, ut naſcenti prope laudi ſuae doctrinaeque praeeſſet. Ridens Vivianius manu prehendit Grandium. Heus tu, inquit, ducem & magiſtrum deſideras? Non mihi docendus, ſed collaudandus videris, quod tantam jam ſis facultatem adeptus, ut non aequalibus modo tuis anteponi, ſed cum exercitatiſſimis viris poſſis comparari. Hujuſmodi teſtimonio maxime ſtimulatus atque excitatus fuit Grandius ad prodeundum in publicum. Prodiit autem primum edita anno MDCXCIX. *Geometrica Demonſtratione Vivianeorum Problematum cum appendice de geometrica quadratura infinitarum partium curvae ſuperficiei conicae*. Res nota eſt & pervulgata Vivianium, ut illuderet, credo, analyſis ſtudioſos, quaeſiiſſe ab iis *formam Teſtudinis Hemiſphaericae, ſed quatuor aequalibus ac ſimilibus, ſimiliterque poſitis feneſtris ita interruptae, ut his detractis reliquum hemiſphaericae ſuperficiei ſit abſolute quadrabile*; & extitiſſe Leibnitium, qui eodem die, quo accepit hujuſmodi aenigma (ſic enim appellabatur a Vivianio) illud ipſum non uno, ſed pluri-

mis modis, ſuo uſus calculo ſolvit. Poſtquam haec acciderunt, Vivianius edidit *Exercitationem mathematicam de formatione & menſura fornicum*, qua non ſolum commemoratum problema elegantiſſime ſolvit, ſed de aliis quoque fornicum generibus multa ſane curioſa in medium attulit. Hanc exercitationem Grandius Latinam fecit, & in eam permulta addidit de ſuo, cum demonſtraſſet, Cavalerii methodum indiviſibilium adhibens, omnia ea, quae Vivianius tantummodo propoſuerat. Addidit quoque appendicem, in qua de fornicibus agens conicis demonſtravit, *quamvis portionem ſuperficiei conicae rectae eſſe ad portionem baſis per cadentes a ſingulis punctis ſectionis in ſubjectum planum perpendiculares, ichnographice determinatam, ut latus coni ad radium baſis*: quo innixus theoremate docuit, quonam modo in fornice conico fieri debeant feneſtrae cum parabolicae tum hyperbolicae, ſic ut quod ſupereſt quadrari poſſit. Hujuſmodi teſtudines Vivianii exemplum ſecutus, qui novum ſuum velum *velum Florentinum quadrabile* nuncupavit, *tentoria, ſeu tabernacula Camaldulenſia quadrabilia*

appellavit Grandius. Num autem ipſe de ſe vere praedicaverit primum omnium dimenſum fuiſſe ac deſcripſiſſe hujuſmodi teſtudines, ii facile judicabunt, qui allata a Grandio conferent cum iis, quae in acta Eruditorum Lipſienſium an. MDCXCVI. (2) intulit mathematicus ſummus Jo. Bernoullius. Jure ſaepe queſtus ſum de religioſis familiis, quod ſi quem inter ſuos inveniant, cui ſolers ac provida mater natura digito fere monſtraverit, ut Grandio certe monſtravit, quod tenere debeat iter, in disjuncta ac etiam contraria ſaepe illum detrudant atque compingant. Dum igitur Grandius Florentiae elaborabat, ut perfectus geometra evaderet, miſſus Romam fuit ad tradendam ſuis rerum divinarum ſcientiam. Impoſitam theologi perſonam ita ſuſtinuit, ut non abjeciſſe illam geometrae oſtenderit. Quapropter frequentiſſime verſabatur cum Dominico Quartaronio aliiſque celebrioribus mathematicis; tantum dabat geometriae non ſolum, ſed etiam analyſi temporis, quantum ſcholae ſupereſſet, & ipſas interdum theologicas quaeſtiones illuſtrare ſe melius poſſe

arbitrabatur, ſi iis geometriae lumen addidiſſet. Sic cum de viſione Dei ageret, ut unam rem ex. gr. ponam, exponebat diſcipulis ſuis animadverſa a ſe ſe de ſeriebus decreſcentibus, harum ſymptomata ſpatiis hyperbolicis comprobans. Manſit Romae Grandius ad Octobrem uſque an. MDCC., quo tempore, commendatione maxime Cardinalis Noriſii, in Piſana Academia extraordinarius philoſophiae Doctor declaratus eſt. Ea, quae docuit, non multum a Carteſianorum diſciplina abhorrebant; & quamvis non ignoraret etiam, quae alii phyſici & Galilaeus in primis tradidiſſent, non tamen multus in iis erat, quod hujuſmodi ſtudia non plane ingenio ſuo ſatisfacerent. Quapropter non dubitaverim Grandium Neoptolemo illi aſſimilare, quem Cicero apud Ennium dixiſſe narrat: *philoſophari ſibi neceſſe eſſe, ſed paucis; nam omnino haud placere*. Studia, quae ducebant inflammabantque Grandium, ea ferme erant, quae ad matheſin ſpectarent: neque enim poterat tale ingenium niſi in explorata veritate adquieſcere. Illa ſe provehere arbitratus eſt, ſi proprietates logiſticae,

ſeu logarithmicae lineae ab Hugenio extrema in diſſertatione *de cauſſa gravitatis* propoſitas, minime vero demonſtratas, ipſe pluribus modis demonſtraſſet; quod cum feliciſſime praeſtiterit homo ingenio prudentiaque acutiſſimus, nemo exiſtimabit rem mediocris ipſum praeſtitiſſe laudis ac gloriae. Vere enim Galilaeus: *longe ſublimioris ingenii eſt alieni problematis enodatio, aut oſtenſio theorematis, quam novi cujuſpiam inventio. Haec quippe fortunae in incertum vagantibus obviae plerumque eſſe ſolet; tota vero illa, quanta eſt, ſtudioſiſſimam attentae mentis in unum aliquem ſcopum collimantis ratiocinationem expoſcit*. Nemo eſt, qui ignoret theoremata illa ad logiſticam pertinentia magnos uſus attuliſſe Hugenio ad explicandum motum corporum in reſiſtenti medio, ſive manu projiciantur, ſive proprio pondere ipſa deſcendant. Sed Grandius, quanquam videbat ſi ea theoremata ſolverentur, magno phyſicis uſui fore, non tamen phyſici partes agere voluit, praeſertim cum diſſentiret (& jure quidem) ab Hugenio, qui in ea erat ſententia, reſiſtentias mediorum creſcere eadem ratione

cum velocitatibus corporum. Continuit ergo ſe finibus geometriae: neque ſola theorematum demonſtratione induſtriam definivit ſuam: multa praeterea eam occaſionem nactus in medium attulit, ex quibus ea lectori ſeponam, quae ſcriptoribus Lipſienſium Actorum magis videntur placuiſſe. Ac primum quidem rationem tradit univerſe inveniendi tangentes, eaſque exhibet ſingulatim omnium hyperbolarum, parabolarum, infinitarum ſpiralium, concoidum varii generis, aliarumque curvarum, nec non expanſae ungulae cylindricae, immo omnium ungularum, etiam ex cylindro non circulari abſciſſarum. Ad haec dimenſionem geometricam exponit infinitarum parabolarum, hyperbolarum, ſpiralium, etiam geometricae, cycloidis, variorumque illius ſegmentorum, cyſſoidis, & ejus ſegmentorum, tractoriae, itemque ſolidorum ex hemicycloide circa tangentem verticis, & ex cyſſoide circa aſymptoton, vel ei ex vertice parallelam revolutis, genitorum. Rationem quadrandae hyperbolae per tractoriam docet. Oſtendit aggregata quotlibet terminorum geometrice proportionalium ad cam-

dem ſeriem pertinentium, ſi ſemper a minimo initium fiat, eſſe inter ſe, ut differentiae ſunt terminorum maximi & minimi; magnitudines incommenſurabiles per ablatam quantitatem qualibet data minorem fieri poſſe commenſurabiles; cujuſvis figurae convolutae, ejuſve partium ad circumſcriptum ſectorem, & ejus zonas eamdem proportionem eſſe ac conoidis ab evoluta figura genitae, ejuſve partium ad circumſcriptum cylindrum, tuboſque cylindricos; ſpatium a curva quavis contentum linea, vel unamquamque ejus partem, aequari ſpatio, quod ſubtangentes implent ad curvam ipſam, vel reſpondentia baſis puncta ordinatim applicatae; ſolida omnia ex infinitis logiſticae ſpatiis eſſe, ut quadrata ſunt radiorum baſis, & portiones, ut differentiae inter quadrata extremorum radiorum; cujuſcumque logiſticae ſpatium & ſubtangentem tam eſſe utrumque alterius ſubmultiplex, quam ſubmultiplicata ordinatarum ratio. Nec declarare praetermittit, quaenam ſit ratio conoidum ex infinitis parabolis ad circumſcriptos cylindros, vel conos, item ex infinitis hyperbolis ad inſcriptos cylindros,

& fuſi cycloidalis ad cylindrum. Oſtendit etiam ſpatium hyperbolicum aequari rectangulo ex ordinata in alteram logiſticae ſubtangentem. Regulam proponit generalem, ex qua cognoſci poſſit, quando ſpatia infinite longa, aut infinitae terminorum ſeries finitam aequent quantitatem, quando infinitam. Docet ſpatia logiſtica ratione data dividere; hyperbolam, quae logiſticam non modo datam, ſed etiam in dato puncto tangat, ducere; eidem logiſticae, immo figurae cuicumque, data ejus tangente, maximum parallelogrammum inſcribere. Diſtantiam inter centrum gravitatis trilinei cycloidalis, atque tangentem verticis dimidio radio aequalem demonſtrat. Definit diſtantiam centri gravitatis ſemicycloidis, & ejus trilinei a baſi, & a vertice, cyſſoidalis ſpatii ab aſymptoto una cum centris gravitatis diverſarum conoidum. Oſtendit demum, quomodo inveniatur centrum aequilibrii in libra longitudinis infinitae, ponderibus geometrice decreſcentibus, & aeque inter ſe diſtantibus onerata. Quae dum omnia tractaret, plurimum uſus eſt lineis illis curvis,

quas *Correlatas* vocavit, quarumque ſe inventorem putabat. Nec immerito. Nam quamvis earum antea indicia dederint Robervallius atque Jacobus Gregorius, nondum tamen ad ejus manus eorumdem opera pervenerant; obſtupuitque poſtquam inter Gallos & Britannos de hujuſce inventionis gloria litem eſſe intellexit. Addidit libro epiſtolam quamdam ad Thomam Cevam e S. J., virum ſane omni liberali doctrina ornatum, quo neminem conjunctiorem tum ipſe habebat, & quocum jamdiu ei commercium erat de rebus ad mathematicas diſciplinas pertinentibus. Et profecto hic erat epiſtolae locus opportunus & aptus ad ea, quae antea tractaverat Grandius. Agit enim de logiſtica ex quodam cylindro reſecta, qua occaſione alia multa traduntur, in quibus ſpiralium diverſi generis origo, ſpiralis Archimedeae, & parabolae Apollonianae aequalitas, infinitarum parabolarum & ſpiralium comparatio, novus cycloidis rectificandae modus, & alia iſtius generis plura. Neque hoc in loco tam vera invenire quam falſa convincere voluit Grandius, cum contenderet Sturmium, Gua-

rinium & Rinaldinium ea in re lapſos eſſe, quod ſpiralem ſemicircumferentiae circuli genitoris aequalem, non vero majorem eſſe putaverint; Borellium quoque rationem fugiſſe affirmantem, duas ejuſdem ſpiralis revolutiones eſſe inter ſe, ut ſunt circulares zonae, quibus comprehenduntur. Si quis vero haec minus praedicanda eſſe duxerit, quod nunc ſublimioris analyſis ope paucis lineis confici ea omnia poſſint, quae Grandius multis paginis expoſuit, nae ille vehementer errat. Magno enim ſemper in pretio fuit veterum geometria, ſemperque erit, quam dum tractaret Grandius ſatis oſtendit, ſingulari ingenio ſe praeditum eſſe ad omnes ſtatim noſcendas vias, quibus eo, quo intendebat, perveniri poſſet, nec minori judicio ad rectiſſimam expeditiſſimamque eligendam. Et haec quidem facultas exercitatione atque uſu adoleſcit quidem, minime gignitur. Suppeditatur illa ab ipſa natura, adeoque dominatur in omnibus diſciplinis & artibus, ut ſine ea nemo poſſit ad excellentem praeſtantiam pervenire. Porro homines ſummi ſummis laudibus debitam meritamque gra-

tiam retulerunt Grandio, poſtquam in vulgus editum utrumque opus viderunt *de theorematis Hugenianis*, & *de problematis Vivianeis*. Ego vero, quanquam conſuevi ſenſa potius, quam verba ipſa, ac teſtimonia laudatorum referre, malo tamen hoc in loco conſuetudini meae, quam gloriae Grandii deeſſe. Sunt enim illa magnifica ac prorſus ſingularia. *Ut legi*, inquit Euſtachius Manfredius, *Demonſtrationes tuas Vivianeas, ac Hugenianas, ſtatim judicavi poſſe te cum praecipuis aevo noſtro geometris conferri, & ex Italis certe conferri tecum poſſe, quod ſciam, neminem*. Jacobus Hermannus haec ad ipſum Grandium ſcripſit: *Vivianea & Hugeniana theoremata magno cum acumine demonſtrata dediſti, & ad multas alias meditationes geometricas methodos tuas mira cum dexteritate extendiſti, qua in re & id etiam inter alia magni faciendum puto, quod omnia ad ſimpliciſſima, geometria Euclidea & Apolloniana, elementa ſumma cum perſpicuitate revocaſti, in quo potiſſimum geometricarum Demonſtrationum elegantia conſiſtere mihi videtur*. Iſaacus vero Newtonus his verbis Grandio litteras dedit. *Ac-*

cepi librum D. Viviani de locis ſolidis, ut & libros tuos, in quibus geometria demonſtras problemata Viviani & Hugenii, & pro tanto munere gratias ago quamplurimas. Geometriam Veterum adhuc florere & veſtris eximiis inventis ac demonſtrationibus auctam eſſe valde gaudeo. Hyeme praeterita librum de rebus opticis & origine colorum olim ſcriptum in lucem edidi, cujus exemplar ad te mitto. Anglice ſcriptus eſt, & ſub finem invenies libellum unum & alterum de rebus mathematicis idiomate Latino, quorum gratia totum mitto. Utinam tanto judici non diſpliceant. Nec illud quoque ad laudem Grandii mediocre fuit, quod cum Graveſandius opera Hugenii omnia collegiſſet, edidiſſetque in lucem, locum inter ea dederit *geometricae Demonſtrationi theorematum Hugenianorum*, in qua etſi pauca quaedam notare ſe poſſe putavit, integrum tamen opus ſummo dignum eſſe geometra judicavit. Hoc opus ſecutum eſt illud, quod inſcribitur: *Quadratura circuli & hyperbolae per infinitas hyperbolas & parabolas geometrice exhibita &c.* Volebat ſane Grandius, tanquam viam aliquam longam difficillimamque con-

feciſſet, omnibus oſtendere, quale illud eſſet, quo perveniſſet, imitatus Gregorii a S. Vincentio, Nicolai Mercatoris, & ipſius Newtoni exemplum, qui quamvis circuli quadraturam deſperandam eſſe, utiliſſime tamen tentari poſſe putarunt. Quaeſivit primo num quadratura parabolae, qualis ab Archimede propoſita fuit, cum quadratura circuli commune aliquid haberet. Et quidem obſervavit, quemadmodum prior per infinita triangula recte procedit, ſic alteram procedere per infinitas hyperbolas, quae quadrari queant, eodemque modo quadraturam hyperbolae per infinitas parabolas obtineri poſſe. Sed haec obſervatio nihil proderat Grandio, eo quia ſeries triangulorum Archimedeorum, ut pote conſtans ex terminis in ratione geometrica decreſcentibus, ſummari poterat: quod aliter eveniebat in hyperbola & parabola, quarum ſeries conſtabant ex terminis diverſa lege progredientibus; quapropter haud poterant niſi proxime ſummari. Id quamvis Grandius probe noſſet, nihilo tamen minus in medium proferre ſtatuit cogitata ſua; quam rem dum aggreditur, audit neſcio quid ſi–

mile de hyperbola Nicolaum Mercatorem in ſua *Logarithmotechnia* propoſuiſſe. Itaque re in aliud tempus dilata, nihil non egit ut analogiam ſuam longius proveheret, invenitque tandem cum per hyperbolas, tum per parabolas quadrari proxime poſſe circulum & ipſam hyperbolam. Hoc praecipuum fuit argumentum libri, quem an. MDCCIII. vulgavit, nuncupavitque Jo. Gaſtoni Mediceo. Quoniam vero ea eſt circuli & hyperbolae natura, ut dimenſio utriuſque non niſi per infinitam ſeriem quadrabilium terminorum haberi poſſit, nullaque geometrica linea, cujuſvis ea ſit ordinis, ſe definiri patiatur, hinc e re ſua fore putavit Grandius, ſi ſubſidia a ſublimiori analyſi petiiſſet. Qua de re plurimum commendatus eſt a Leibnitio gratulante non tam Grandio, quam Italiae univerſae, quod *illo in primis duce* (3) in admirabilis utiliſſimaeque ſcientiae cognitionem ipſa perveniſſet. Hoc loco deſcripſit Grandius curvam illam lineam a ſe excogitatam, quam *verſoriam* appellavit. Mira prorſus eſt lineae proprietas, quod quamvis duplum minime excedat circuli genitoris, ſi

tantillum circa axem verſetur, ſolidum procreat vere infinitum. Multum & frequenter uſus eſt Grandius hujuſmodi linea in definiendis tum intenſionibus lucis, tum ſollicitationis, ut ajunt, gradibus, & ſcala velocitatum in Newtoniana gravitatis hypotheſi. Quemadmodum per has ſcalas ad ſublimiores tum phyſicas, tum geometricas veritates aſcendi poſſit; ſuo exemplo oſtendit Grandius, monens tamen circumſpectione quadam opus eſſe, cum fieri poſſe diceret, ut minus cauti in hiſce ſcalis ruinae periculum non aſcenſum inveniant. Dum haec exponeret alia quoque ſubjecit geometrica inventa, quae quaſi aliud agenti ultro ſe obtulerunt, quaeque ingrati fuiſſet contemnere. In his numerari debet nova ratio menſurandi infinita ſpatia curvilinea, rectificandique innumeras curvas lineas. Propoſuit poſtea, cum ſecundo typis librum commiſiſſet, novam rationem quadrandi hyperbolam adhibita proportione ex infinitis aliis compoſita, novamque intulit demonſtrationem quadraturae circuli per infinita rectangula. Quae vero ad ſolvendum problema

quoddam a Joanne Bernoullio propoſitum, ſibique a Leibnitio communicatum (4) expoſuit eo in loco (5), ubi de variis modis transformandi curvas tum ſuperficies, tum lineas in alias diverſae ſpeciei agit, talia quidem ſunt, ut eo vel uno conſtare poſſit argumento, in ea geometria, quam ſyntheticam vocant, Grandium illa quidem aetate ceſſiſſe nemini. Et quoniam enumerare omnia, quae in ejus libris admirabilia ſunt, magnum eſſet, juvat recenſere maxima, atque ita, ut, ſi quibus geometriae ſtudia minus ſapiunt, ii etiam intelligant in quantum gloriae faſtigium eorum ope venerit Grandius. At mirum quantum ipſe tribueret ſuae geometriae. Per eam enim explicare ſe poſſe putabat, quomodo ex nihilo creatus ſit mundus (6), & quomodo in ovo & ſeminibus inſit vis earum rerum, quae ex ipſis progignuntur (7); ex ea naſci omnia commoda vitae, omnemque pene cogitationem mentis divinae, rationemque naturae ab ipſa pendere. Videre mihi videor Grandium, poſtquam infinite parvorum geometriam ſua in poteſtate habuit, in excelſo loco poſitum,

exul-

exultantemque laetitia, quod non ſolum longe lateque patentes regiones unico oculorum intuitu perſpicere poſſet, ſed prope etiam ſuperbientem, quod per eam infinitates omnes rerum & naturae peregrinari & tenere ſe poſſe confideret. Quoniam autem vir alta quadam mente praeditus non facile modum tenet, vel ultra infiniti terminos progredi ſe poſſe ſperavit; unde etiam cum Varignonio in certamen venit, aliiſque geometris Gallis, qui Walliſii pluſquam infinita hyperbolica ſpatia tanquam repugnantia a geometriae finibus in exilium agebant. Itaque edito libro *de infinitis infinitorum*, & *infinite parvorum ordinibus*, oſtendit hyperbolas altioris ordinis, licet ex una parte finitum ſpatium comprehendant, ex alia tamen uſque adeo ſpatium pluſquam infinitum continere, ut etiam infinite majus ſit eo ſpatio, quod ab Apolloniana hyperbola circumſcribitur, quocirca ſpatium Apollonianae hyperbolae, licet utraque ex parte jam infinitum, quantumvis adhuc multiplicatum, ſemper minus oſtendi quovis ſpatio ad unam aſymptoti partem ab altioribus illis hyperbolis con-

tento, & qualibet etiam aliquota ipſius parte; ac demum ita comparari debere ſpatium infinitum hyperbolae Apollonianae ad ea ſpatia, quae ab altioribus comprehenduntur hyperbolis, ut quaedam finita quantitas ad infinitam, ut o ad I. De natura igitur infinitorum, variiſque tum infinitorum, tum infinite parvorum ordinibus ſic egit Grandius; tam multas hyperbolarum Walliſii demonſtrationes tamque acutas invenit, ut Anglorum cauſſa contra Gallos probabilior eo patrono videretur; quae res maximo fuit Grandio adjumento ad hominum famam colligendam, ſeu potius augendam. Verum cum Varignonius non ſolum in ſua perſiſteret ſententia, ſed quereretur etiam de Grandio, quod illam oppugnaſſet, hic ſuae exiſtimationis eſſe putavit *Proſtaſi* quadam illa diluere, quae objecerat adverſarius, intuleratque in volumen an. MDCCXII. Actorum Lipſienſium. Neceſſe praeſertim habuit declarare, id quod pluſquam infiniti nomine vocabat non eſſe magnitudinem utcumque alia infinita majorem, cum infinitae magnitudines ſecundum quorumvis numerorum ra-

tiones aliae aliis majores, aut minores eſſe poſſint, quin eumdem infinitorum ordinem transgrediantur; ſed tales ſe intelligere magnitudines, quae ab infinitorum ordine emergentes ad ordinem altiorem eleventur; ut finitis magnitudinibus accidit, ubi ad ordinem infiniti tranſierint. Si haec bene poſita principio fuiſſent, non torſiſſet homines doctos nominis controverſia, (8) quae quidem honorabilis eſt geometriae, cum in hac facultate nullus eſſe poſſe videatur diſputationi locus, niſi cum minus dilucide proponitur, quid ſit id, de quo quaeritur. Num vero exiſtentibus magnitudinibus pluſquam infinitis, varii infiniti gradus exprimendi potius eſſent per rationem duplicatam, triplicatam, quadruplicatam &c. rationis ſimpliciter infinitae, quam per rationem poſitivi ad negativum, non conveniebat inter eos ipſos, qui has pluſquam infinitas magnitudines libenter agnoſcebant. Et juſtam reprehendendi ſui cauſſam dediſſe viſus eſt Grandius doctioribus viris, quod priorem minime ſit amplexus ſententiam. Diſſenſit etiam cum Varignonio, quod hic aſſeruerit angu-

lum contactus eſſe aequalem angulo ad centrum circuli oſculantis ; & varietatem hypotheſis, a qua uterque diſcedebat, cauſſam credo contentionis intuliſſe. Alter enim curvas ex elementis circularibus, alter ex rectis compoſitas animo concipiebat. Uterque ſane recte. Neque enim fieri poteſt, ut his in rebus quis in errorem labatur, ſi eamdem ſemper hypotheſim retineat, nec ab una in alteram tranſeat. Hujuſmodi controverſiae magnos rumores excitarunt, quod non tam duorum hominum agi cauſſa videretur, quam Academiarum Londinenſis & Pariſienſis. Addebant vero animos Grandio, quae de Iſaaco Newtono narrabat Henricus de Nova Villa his verbis ad eum ſcribens: *Te certe & tua ſtudia amat, laudatque plurimum, ac patriae ſuae denuo gratulatur talem nobis & veritati contra Pariſienſes aemulos fautorem vindicemque obtigiſſe*. Fuit & alia cauſſa, quare Grandius pro Anglis acerrime contendere perſeveraverit. Nam cum in Londinenſem Academiam an. MDCCIX. adſcriptus fuiſſet, volebat omnibus oſtendere ſe de ejus gloria plurimum laborare. Praeter quam quod ita

natura comparatus erat, ut neſciſſes utrum veritatis, an contentionis cupidior eſſet. Quare factum eſt, ut minime ei defuerit voluntas longius protrahendi diſputationem, quanquam Varignonius nullum *Proſtaſi* reſponſum dederit; ſed adverſarii mors, cohortationes amicorum & quae antea ſcripſerat Leibnitius (9) retuleratque in Acta Lipſienſia ad componendas lites & ad defenſionem ſuae methodi *infiniteſimalis*, illum a propoſito revocarunt. Habuit iiſdem temporibus Grandius alios adverſarios, quibuſcum ingenium & iracundiam ſuam exerceret. Rogatus a Bartholomaeo Interio quid ſentiret de libello quodam Lucae Antonii Portii (10), cui propoſitum fuerat oſtendere momenta corporum gravium in plano declivi deſcendentium non habere aequalem, ſicuti ex vero docuerat Galilaeus, ſed majorem proportionem ad eorumdem momenta, dum illa ad perpendiculum cadunt, quam habeat altitudo plani ad ſuam longitudinem, ingenue per litteras reſpondit, certiſſimiſque argumentis probavit, non Galilaeum, ſed Portium errati culpa teneri, quod falſo ipſe ſibi perſuaſerat

Digitized by Google

corpus premere inclinatum planum vi haud quidem eidem plano, ſed horizonti ad perpendiculum directa. In quo cum Portii lapſum coarguit, tum etiam Vitalis Jordani intulit mentionem, qui pari in re antea offenderat, editaque epiſtola affirmarat modo majorem, minorem modo eſſe hanc proportionem, & eſſe poſſe etiam aequalem, ſi quidem planum, quo grave corpus ſuſtinetur, angulum XXXXV. graduum cum horizonte efficiat. Neque vero in eo convincendo, errorisque cauſſis aperiendis laborandum ſibi eſſe duxit, rem dicens in aperto poſitam, ſi quis haec ſtudia vel leviter attigiſſet. Haec Grandii ad Interium epiſtola, ipſo, ut affirmabat, inſcio, edita Romae fuit, graviterque Jordanum pupugit, quaſi ab ipſa in contemptionem adduceretur. Dubitavit aliquandiu, num ei reſponſum redderet, quod in ſene decrepito contenderet tranquillitatis amor cum gloriae deſiderio. Pervicere tamen Hieronymi Tambuccii ſollicitationes preceſque; ejuſque nomine, qui ſui olim fuerat auditor, edidit Romae epiſtolam an. MDCCXI., quam Joſepho Davanzato

nuncupavit. In ea ſe fore acerrimum dignitatis ſuae defenſorem praedicabat. Tota vero ipſius defenſio illo praeſertim nitebatur fundamento, quod corporum gravium directiones haud ſint inter ſe parallelae, verum omnes in terrae centrum vergant. Neque eo contentus Jordanus fuit, ut pro ſe ipſe cauſſam diceret. Multa praeterea ſenili quadam rabie criminoſe congeſſit ad deprimendam famam adverſarii, quem talem eſſe affirmavit, ut cogitationes ſuas aſſequi non poſſet, minimeque propterea admirandum, ſi dum eas convellere voluit, in varios ipſe inciderit errores. Credo ipſum poſtea poenituiſſe quod inhumane adeo provocaverit Grandium, eamque epiſtolam malis ominibus praelo datam votis lamentiſque revocaſſe. Etenim alter cum finxiſſet ultorem eſſe injuriarum ſuarum Marium Caenigam diſcipulum ſuum, memoratam ad Interium epiſtolam iterum typis mandat, noviſque adnotationibus ornat, quod ſe improbare diceret illas, quae aliena manu ad mordendum praeſertim Portium antea conſcriptae fuerant. Tali modo, & id, quod intendebat, exquiſitio-

ribus rationibus confirmare, & quae contra objecerat Tambuccius refutare potuit. Quod vero tum ille, tum ejus praeceptor in minimis tenuiſſimiſque rebus lapſi fuiſſent, id ſatis eſſe argumenti dixit, non plus eos attigiſſe geometriae, quam pueri ſolent; hocque ut magis magiſque hominibus comprobaret, Tambuccium ad ſolutionem cujuſdam problematis (11) invitavit. Non recuſavit Tambuccius doctrinae ſuae periculum facere, ſed eo ſucceſſu, ut edita *reſponſione ad Caenighianam epiſtolam* novis reprehenſionibus cauſſam dederit. Etſi non tam reprehenſor Caeniga, quam acerbiſſimus accuſator voluit videri in ea, quam ad Tambuccium hac de re ſcripſit, epiſtola. In hanc vero non ſolum retulit, quae Grandius, ſed etiam, quae alii mathematici Hermannus, Fagnianius, Gallianius, & Lorenzinius excogitaverant inveneruntque ad illud ſolvendum problema, addiditque etiam in fine nonnulla ſane utiliſſima ad Locorum geometricorum doctrinam ſpectantia, ut compenſaret, credo, offenſionem, quam plerique ex hujuſmodi ſcriptis querelarum & jurgii plenis excipiunt.

Ex iis, quae ſunt in extrema epiſtolae pagina apparet, dum haec typis imprimerentur, ſecundo in publicum prodiiſſe Tambuccium partim emendantem, partim, ut eſt hominum vulgus, confirmantem veteres errores ſuos. Quid quaeris? Taeduit tandem Grandium cum imparibus adeo ſe dimicare adverſariis, & finem huic diſputationi facere ſe debere putavit illis de Quintilio Varo Horatianis verſibus.

Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam ſumebat inanem;
Quin ſine rivali teque, & tua ſolus amares.

Non tamen diſſimulare poſtea potuit Grandius ſibi, quae acta fuerant, diſplicuiſſe, praeſertim cum rumor eſſet, ſummum dolorem, quem in hac diſputatione cepit Jordanus, mortem ei attuliſſe. Sed nunquam ego ſum adductus ut iſtud credam; & ea quae extremo tempore vulgavit Jordanus, non mediocria dedere indicia mitigati animi ſui in Grandium (12). Dedere & aequitatis cum profeſſus fuiſſet plura falſa & plena erroris eſſe in epiſtola, quam ſupra commemoravi-

mus, ad Davanzatum. Ut vero par pari referret Jordanus Tambuccii nomine propoſuit Caenigae bina problemata, quae nunquam fuiſſe ſoluta falſo affirmavit is, quem habuit rerum ſuarum ſcriptorem (13). Etenim minime in manus ejus pervenerant dialogi quidam, in quos conjecta fuerat illorum problematum ſolutio, quoſque exaravit Grandius, cum inter ſe & Alexandrum Marchettum mathematicarum diſciplinarum in Academia Piſana Doctorem orta eſſet acerrima ſane contentio. Hujus initia, & tanquam ſemina fuerunt invidiae ſenſus, qui ſolebat lacerare Marchettum; praeterea ſpes filio erepta ſuccedendi muneri ſuo, poſtquam Magni Etruriae Ducis mathematicus dictus eſt Grandius; denique hujus hominis liberior quaedam licentia, qua de mathematicis Marchetti ſcriptis judicium ferebat. Erant & malevoli, qui, rumoribus improbiſſimis diſſipatis, naſcentia odia inflammare ſtudebant. Haec incluſa aliquandiu intra unius urbis moenia, poſtea in apertum erupere. Nam Marchettus vulgata verboſiore, quam vel ipſius fautores voluiſſent, epiſtola ad Bernardum Tre-

viſianum, jure ſe de Grandio queri poſſe putavit ob ea, quae de ſe ille ſcripſerat, cum ſecundo edidiſſet librum *de quadratura circuli & hyperbolae*, quaeque nos in commentariolum de vita ipſius Marchetti retulimus. Quae huic tam loquaciter litigioſo reſponderit Grandius eodem in loco ſignificavimus, neque talia eſſe putamus, ut iterari ſingula debeant. Non enim tam ſe ipſum defendere voluit, quam proterere & conculcare adverſarium, cujus in libro *de reſiſtentia ſolidorum*, quo maxime is gloriabatur, triginta & ultra propoſitiones partim falſas, partim non bene declaratas, partim male demonſtratas corrigendas ſuſcepit. Quod vero ad duo illa capita ſpectat, in quibus maxime verſari diſputatio videbatur, de ſolido parabolico aequalis ubique reſiſtentiae, etiam cum utrimque fulcitur, & de infinitis *zeris* ad quamlibet finitam quantitatem generandam idoneis, in quorum altero Marchettus Galilaeum emendaverat, alterum exprobraverat Grandio, hic quidem nihil non egit, ut illa infirmaret atque dilueret; ſed quam vere, ii facile judicabunt, qui utrumque lege-

rint. Quatuor in hac controverſia dialogos ſcripſit Grandius, quorum primum tantummodo in vulgus edidit, reliquos edere ab Academiae Piſanae Curatoribus prohibitus. Ex his tamen multa ſumpſit ad componendum librum, quo ſe, Galilaeum & Vivianium purgandos arguendumque Marchettum putavit. Nonne id agendum nobis fuit, ajebat Grandius, ut materiem ſubtraheremus inſolentiae illius, & ſummorum virorum famae conſuleremus? Interpretatio ſententiae Galilaei ad illam errore liberandam plus acuminis, quam veritatis habet. Quidni potius confeſſus eſt Grandius lapſum quidem Galilaeum fuiſſe, quod putaverit ſolidum parabolicum non ellypticum requiri, ut fulcris utrimque impoſitum ubivis aequaliter reſiſtat, ſed hujuſmodi erratum facile ignoſcendum eſſe homini, qui primus omnium difficillimam utiliſſimamque ſcientiam, quae ad corporum reſiſtentias pertinet, omnino genuit? Dum haec tractaret Grandius, nonnulla ex interiori geometria petita addidit, atque attulit de ſuo, quae mirifice amplificaſſe hanc mechanices partem merito judicavit phyſi-

cus ſummus Muſſchenbroekius (14). Non aeque tamen placuerunt nonnullis praeclariſſimis viris, ſi Leibnitium alioſque paucos excipias, quae de creatoribus ſuis *zeris* in medium protulit; reprehenſuſque a Varignonio & Wolfio fuit, quod *zerum*, ut ipſi loquebantur, *abſolutum* pro *relativo* ſumere videretur. At vero eorum, qui a Grandio ſtabant, haec erat ratio defenſionis: cum ille infinitum nominabat, nullum aliud infinitum, quam maximi ordinis deſignaſſe; eodemque pacto, quoties *zerum* diceret, toties infiniteſimum infimi ordinis intelligi voluiſſe, quod ex ejus ſententia idem erat ac nihilum abſolutum: hoc autem multiplicato cum maximo infinito non videre ſe, quare non idem gignere deberet, quod ſimul gignunt infiniteſimum & infinitum primi ordinis, vel infiniteſimum & infinitum ſecundi, vel ceterorum ordinum, id eſt eamdem unitatem. Illud & addebant, quod omnium maximum argumentum ad rem ſuam probandam fortaſſe putavit Grandius. Dividatur unitas aliquo numero, habebis fractionem eo minorem, quo major eſt diviſor, adeo ut

ſi hic in infinitum creſcat, ipſa abeat in nihilum. Quia vero fractio cum ſuo diviſore multiplicata eumdem diviſum numerum reddit, hinc ſi qua fractio ob infinitum diviſorem ad nihilum redacta cum eodem diviſore multiplicetur, unitatem reſtituere debebit. Jam ſi diviſor ponatur eſſe infinitum maximi ordinis, quae hinc oritur fractio, erit infiniteſimum ejuſdem ordinis, ideſt *zerum*, quo proinde in diviſorem ſuum multiplicato, priorem unitatem reſtitui neceſſe erit. Mitto argumentum alterum e natura logarithmorum ſumptum, quod eodem vitio, atque allatum, laborare videatur. Extremo in libro nonnulla emendavit Grandius de metamorphoſi curvarum a ſe propoſita in opere *de quadratura circuli & hyperbolae* (15), neque id tam veritatis amore fecit, quam ut adverſarios occaſione reprehendendi ſui privaret. Et ſane ingenua iſthaec confeſſio, nec non cohortationes Fratrum Manfrediorum averterunt Joſephum Verzaliam a conſilio ſcribendi adverſus Grandium; quod ſe velle facere, epiſtola quadam edita Caeſenae, palam fuerat profeſſus. Sed ut ad Mar-

chettum redeat oratio, is quidem, quoad vixit, garrire atque obloqui non ceſſavit; cumque non tam argumentis, quam dicacitate cum ipſo certaret Grandius, nullam amittere velle occaſionem ad illum ulciſcendum videbatur. Praeter cetera examinandum ſuſcepit Calendarium ab ipſo editum, collegitque quamplurima non modo acute, ſed etiam ridicule & facete, ut in publico deridenda proponeret. Profecto ſi adverſarii dignitati peperciſſet Grandius, magis ipſe ſervaſſet ſuam; meminiſſeque debebat viros bonos malle commemorare, ſe cum vincere poſſent peperciſſe, quam cum parcere poſſent viciſſe. Duravit iſthaec concertatio ad annum uſque MDCCXIV., quo tempore Marchettus diem obiit ſupremum, vacuamque fecit Grandio mathematicarum diſciplinarum cathedram, in qua, ut diximus, praecipua conſtitit cauſſa inimicitiarum. Subinvidere Marchettus filius, aliique, ſed fruſtra. Intelligebat enim Coſmus Magnus Dux neminem eſſe in Etruria, qui ex mathematica laude aſpirare ad Grandium poſſet; quapropter e re ſua fore putavit, ſi

ejus opera uteretur non modo in docendi munere, ſed etiam in omnibus iis rebus, quae mathematici prudentiam requirerent. Erat controverſia inter nobiles quoſdam Florentinos, num ad piſtrinum faciendum in flumine Era conſtrui poſſet genus illud cataractarum, quod nos dicimus *Peſcaje*, quin ex ea re alvei elatio, majuſque alluvionum periculum poſſet timeri. Juſſus Grandius a Coſmo ſententiam ſuam exponere certiſſimis argumentis probavit, ſi id fieret, periculoſe fieri; ex ejuſque conſilio judices pronuntiarunt. Tria in hanc rem vulgavit ſcripta, confutavitque praeſertim levitatem opinionum Rondellii, qui ex contraria parte haud pauca in medium attulerat. Ea ſane opinio erat Grandii, turbidum quemque amnem, ſi cataracta quapiam per fundum ducta detineatur, materiam deponere, novumque fundum ſibi ſubſternere; idque extra controverſiam eſt: quod autem in dubium revocari poteſt ad formam novi alvei ſpectat. Putabat eum a ſumma cataracta ad ſuperiora ferri ea lege, ut alveo veteri fere parallelus fiat. Quam in rem ita ratiocinabatur. Con-

ſtat

ſtat iter omnes fluvium certa velocitate, quam certa facit ab initio ad finem devexitas, opus habere, ut quidquid terrae aut ponderoſioris materiae admixtum ei eſt, ſecum rapiat. Si velocitas illa minuatur, deponet materiam, & alveum attollet. Jam vero quis non videt, fluvium interpoſita cataracta retardari? Igitur materiam ad fundum dejiciet, primum quidem pone cataractam ipſam, donec cavum repleat uſque ad cataractae faſtigium; & alveum ſibi muniet longo tractu horizontalem; deinde cum ſegnius adhuc labatur, propterea quod nihil in hoc tractu devexum habet, eaque ſegnities ad ſuperiores quoque aquas transferatur; materiam & per hunc, quem diximus, tractum, & per totum ſuperiorem alveum aliam atque aliam dejiciet; neque deſiſtet, donec declivitates omnes adipiſcatur, quas ante habuerat; has enim adeptus velocitatem recuperabit ſuam, & admixtam ſibi materiam ſecum deferet. Atque his ſane novus fiet alveus, qui a ſummo cataractae faſtigio ad ultimam uſque fluvii originem protendetur, vel certe ad cataractam uſque ſuperiorem

ſi qua ſit, ibique cum alveo veteri conjungetur, & hunc ipſum veterem alveum devexitate & flexu omni imitabitur. Sic diſputabat Grandius, cujus argumenta perpendens Joannes Baciallius homo mathematicarum rerum ſcientia excultus vix aliquid invenit, quod concederet. Nam neque alveus a ſumma cataracta uſque ad originem fluminis, aut ad cataractam aliam ſuperiorem attolli creditus ei eſt, neque ibi alveo veteri occurrere, neque declivitates eaſdem, quas ante habuerit, ſibi componere; neque omnino ad altitudinem evehi tantam, quanta putabatur. Quae ipſe expoſuit ad opinionem ſuam comprobandam, non multum ab iis aliena, quae Euſtachius Manfredius hac eadem de re rogatus ſententiam ipſi Grandio objecit, legi poſſunt in parte I. voluminis II. Commentariorum Academiae Bononienſis. Interrogatus Grandius a Franciſco Ferronio de iis, quae conducere putabat ad exſiccanda ipſius praedia poſita in Valle Nebulae, tribus editis ſcriptis oſtendit, quae commoda ex derivatione turbidarum aquarum in eadem praedia ſperari potuiſſent, & quae detrimen-

ta non bene antea inſtitutae derivationes vicinis agris intulerint. Agros Piſanum, Groſſetanum, aliaque loca ſaepe juſſu Principis inviſit; ſaepe etiam caeli ſalubritati civiumque utilitati conſuluit. De reducendo Rheno in Padum multum eſt ac diu Romae conſultum, diſputatumque acerrime Bononienſes inter & Ferrarienſes, cum eadem de cauſſa ſurrexiſſent quoque cum clamore Veneti, Mantuani, Mutinenſes, Parmenſes, ceterique Ciſalpinae Galliae populi pene omnes. Harum diſputationum cauſſa cum facile Grandius impetraſſet a Coſmo, ut ſibi ab Etruria, poſtulante praeſertim Summo Pontifice, abeſſe liceret, Romae fuit toto ferme an. MDCCXVII., ſavitque plurimum & voce & ſcripto Bononienſibus. Neque id re incognita fecit. Antea enim cum Dominico Riviera Praeſule ampliſſimo inviſerat loca, unde averti, & per quae deduci Rheni aquae debuiſſent. Inviſit iterum annis MDCCXIX. & MDCCXX. cum Praeſule Riuccinio, & tertio demum an. MDCCXXIX. invitatus a Bononienſibus. Ea tota cauſſa fuit Grandio de jure Bononienſium dicen-

dum, demonſtravitque ex deductione aquarum Rheni in Padum nullum illatum iri damnum Ferrarienſibus, multoque minus iis Ciſalpinae Galliae populis, quae loca ſuperiora incolebant. Sed expediebat maxime Ferrarienſibus terrores aut excitare, aut nutrire, quo facilius Pontificum animos a poſtulationibus Bononienſium averterent. Quid non modo ſolertia, ſed etiam machinaio potuerit ad irritas reddendas incredibiles impenſas & operas, minime hoc loco commemorandum eſſe arbitramur. Iis de cauſſis ſaepe Grandio congreſſus & colloquia fuerunt cum nobilioribus hydraulicis, omnibuſque oſtendit quantum aquarum ſcientia excelleret. Solebat vero dicere Euſtachius Manfredius neminem ſe noſſe, quem Grandio hac eadem ſcientia compararet, ei nimirum homo modeſtiſſimus tribuens, quod ſibi merito potuiſſet arrogare. Vincebat enim omnes uſu, diligentia atque prudentia. Praeter quam quod videbatur interdum Grandius nimium indulgere & concedere geometriae & calculis, qui quidem partes agere debent in re aquaria, ſed minime primas. Etenim naturae experimentis

res univerſa praeſertim ſubniti debet. At ſi feſellit nonnunquam Grandium geometria, ſaepiſſime eumdem direxit ad veritatem, ut mihi utrumque collaudandum eſſe videatur, quod res hydraulicas pertractans ſuis erratis cautiores & praeclaris inventis prudentiores fecerit homines. Idem vero & de ipſa ſcientia, deque Italia, cujus illa eſt propria, praeclare meritus eſt, cum auctor & adjutor fuiſſet Thomae Bonaventurio ad perficiendum opus, quod inſcribitur *Raccolta di Autori, che trattano del moto dell' acque*. Ab Archimede initium faciendum ipſe putavit; obtinuitque a Jo. Bottario politiſſimo ſane ſcriptore, ut in Italicum converteret, quod ad nos pervenit, ejuſdem opus de rebus iis, quae aquae inſident. Contulit vero ipſe plurimum laboris ad contexendum librum, qui valeret non ſolum ad augendam collectionem illam, ſed etiam ad hydrometriam amplificandam. Sunt in eo nonnulla, quae non ſemper cum experientia congruunt; quaeque propterea ad calculos geometriae fruſtra revocaveris. Sunt vero alia multa & ſubtiliter inventa, & eleganter firmeque probata, qui-

bus ſaepe cum laude Grandii uſus eſt Euſtachius Manfredius in illis ſuis doctiſſimis commentariis ad aureum Gulielminii opus de fluminibus dirigendis. Prae ceteris plurimi facere videtur locum tractatum uberrime de impetu aquae in aggeres ad curſum aquarum quomodocumque inclinatos, quo in loco demonſtrat Grandius vim, quam aqua in eoſdem aggeres exercet, ſe habere, ut aggeris longitudo, quadratum ſinus inclinationis, nec non quadratum velocitatis aquarum. Multo ante a ſe meditata attulit Grandius ad definiendam velocitatem aquarum, & hanc ſubduplicatam eſſe altitudinum declaravit. Huic vero innixus principio confecit tabulam parabolicam, cujus ope velocitates & quantitates aquae e vaſe effluentis diverſis altitudinibus reſpondentes inveniri poſſent. Arbitratur aquam prodire e vaſibus eadem velocitate, quam decidens corpus e ſuprema aquae ſuperficie in locum foraminis acquireret. Inaequalitas fundi & riparum ex ejus ſententia parum aut nihil fluminum curſum retardat. Secutus exemplum Bernardini Zendrinii, & Joannis Bernoullii transfer-

re ſe poſſe putavit ad motum fluminum, quae de virium compoſitione & reſolutione tradiderunt mechanici. Inclinabat animus illius, ut arbitraretur fluminum fundum ad cycloidis formam excavari, quod haec ſit curva linea celerrimi deſcenſus, quodque aequalibus prematur ubique momentis. Haec & alia hujusmodi dum proferret Grandius, non dolere debebat, ut doluit interdum, ſi quiſpiam ab eo diſſenſerit. Profecto in hoc rerum genere omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt in ipſis rebus obſcuritas, ut non ſine cauſſa e doctiſſimis viris nonnulli invenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint; alii vero, ſicuti Alembertius, omnia ea, quae ſciri queant, ad duo vel tria capita redigi debere putaverint. Sed id ſatis ſuperque de hydrometricis Grandii ſcriptis: non enim omnia, quae exaravit, enucleanda, & quae geſſit aut Principis juſſu, aut aliorum invitatu commemoranda eſſe exiſtimavi. Neque vero Bonaventurio tum primum auxilio fuit. Etenim magna in eum Grandii merita jam ante conſtiterant, cum ipſe novam operum Galilaei

editionem perficiendam ſuſcepiſſet. Praeclarum conſilium, atque omni quidem laude dignum, eo praeſertim tempore, quo potentes religioſi viri in Etruria, ut & alibi, quaſi noctem quamdam rebus phyſicis indigniſſime offuderant. Suſcepit Grandius curam cogitationemque dignam doctrinae ſuae, ut, quae inchoaverat Vivianius *de Reſiſtentiis* ad illuſtranda hac de re Galilaei cogitata, ipſe perficeret & in ordinem redigeret. Reddere voluiſſe videtur Vivianio, quae Apollonio & Ariſtaeo ipſe praeſtiterat. Verſatus erat eodem in argumento, ut ſupra poſuimus, antea Grandius, cum edito libro reſpondiſſet graviter contra Marchetti accuſationes. Et quidem tum demonſtravit, qua ratione infinita ſolida aequalis reſiſtentiae inveniri poſſent ſive ex una, ſive ex utraque parte in muro figerentur; ſive ratio haberetur, ſive non, eorumdem ponderis; ſive partes ejuſdem ſolida ſive plura & diverſa ſolida ejuſdem nominis inter ſe compararentur; cujus rei omne artificium in accurata conſideratione duarum figurarum, a quibus ſolida genita eſſe intelligere poſſumus, conſiſtere videtur. Tranſtulit

haec omnia Grandius in novum opus, quod injuria fortaſſe dixeris ſupplementum Vivianei, adeo ſunt multa, quibus illud ornavit, quaeque attulit non ſolum ad illuſtranda, elegantiſſimiſque demonſtrationibus confirmanda, ſed ſaepe etiam ad illius cogitata divinanda. Neque eſt credibile, quam multa quoque ei venerint in mentem acuta atque ſubtilia, cum nonnulla, quae Vivianius minus bene declaraverat, defendenda atque excuſanda ſuſcepit. In his excudendis noluit Grandius egredi fines, quos ſibi Galilaeus & Vivianius conſtituerant, eaque propter in revocandis ad geometriae calculos ſolidorum corporum reſiſtentiis nullam rationem habuit illorum texturae, flexibilitatis, viriumque, quas corporum fibrae exercent, quanquam intelligeret ea omnia expendi & probari debere in tractatione artis atque uſu. Nihil enim ex iis eſt, quod non ad opus faciendum, quaſi ad ſcopum collineet. Dum haec ſcribit, exulcerati animi prodit indicia: neque enim ita ſibi imperavit, ut non aliquibus reſponderet ſibi a Marchetto objectis, quamvis reſponſione indigna videri potuiſ-

Digitized by Google

ſent. Cetera ſuppeditata a Grandio, quae comitantur operibus Galilaei, non minorem laudem merentur. Spectant ea ad motum ſolidorum corporum in fluidis, & praeſertim ad illuſtranda decreta Galilaejana de accelerato motu cadentium corporum. Accurate definivit plana & ſcalas virium, velocitatum, temporum & ſpatiorum, ſeu conſtans, ſeu varia ſit gravitatis actio, ſive per rectam, ſive per curvam lineam corpora ipſa cadant; oſtenditque mirum Galilaejanarum legum uſum vel in majoribus a centro diſtantiis, in quibus locum habere poſſit gravitatis varietas. Inter multa praeclara a Grandio hoc in loco demonſtrata illa praeſtantiſſima merito judicantur, quae ad celebre problema de linea *Brachyſtochrona* pertinent. Nemo ignorat Galilaeum putaſſe lineam celerrimi deſcenſus circulum eſſe, quod erratum facile ii excuſabunt, qui animadvertent, quae ſit rei difficultas, & quo in ſtatu temporibus illis eſſet geometria. Primi, qui palmam in hoc ſtadio tulere, fuerunt Joannes & Jacobus Fratres Bernoullii, Newtonus, Leibnitius, & Hoſpitalius; ſed nemo eorum arbitratus

eſt ad id, quod volebant, perveniri poſſe via veteribus geometris uſitata. Hanc ſecutus eſt Grandius feliciſſime; nec ſane dubito, quin ſi expoſita ab ipſo perveniſſent ad manus Joannis Bernoullii, idem dicturus fuiſſet, quod accepta, quam Newtonus fecit, ejuſdem problematis ſolutione pronuntiavit, *ſe noſſe leonis unguem*. Vulgatus deinde liber eſt de ſectionibus coni anno MDCCXXII. in eoque preſſius & clarius a Grandio tradita, quae invenerat Apollonius. Mirabitur fortaſſe aliquis hominem, qui longe plurimum in geometricis rebus valebat, deſcendiſſe ad elementa ſcientiae tradenda. Sed ipſum non tam propria gloria, quam publica utilitas delectabat: quanquam ex eo labore plurimum cepit gloriae. Etenim non ſolum celebriores Italicae ſcholae, ſed etiam exterae complures utiliſſime illo ſe uti poſſe judicarunt, quod neminem parem haberet elegantia & copia rerum cum brevitate conjuncta. Fit initium a relationibus, quae ſunt inter *ordinatas* ad axem ejuſque *abſciſſas;* hinc prodit theoria tangentium, a qua deinde progreſſio fit ad *ordinatas*, ad diametros

quaſvis. Porro *foci* determinãtur cum proprietatibus inde pendentibus, compluribus adjectis, quae recentiores invenerunt. Quae ſpectant aſſymptotos hyperbolarum plane cumulateque, & pro rei dignitate explicantur. Ubique vero, quae generalia ſunt & tribus ſectionibus communia, unica propoſitione comprehenduntur, unica item demonſtratione probantur. Sub finem libri dimenſiones variorum ſpatiorum ac ſolidorum, parabolicorum in primis & hyperbolicorum ſubjiciuntur, & plerumque per indiviſibilia, interdum etiam per ſpatia *differentialia*, ſed ſynthetice ubique demonſtrantur. Commendationi libri magnus cumulus acceſſit, quod ex Italico in Hiſpanicum, & ſemel iterumque in Latinum ſermonem converſus ſit; quodque additamentis & notis Chriſtianus Hauſenius, & Octavianus Cammettus, alter in Lipſienſi, in Piſana Academia matheſeos Profeſſor alter, ipſum adornarunt. Paullo poſtquam haec edidit Grandius, dono miſit Regiae Londinenſi Academiae libellum, cui nomen inditum *Florum geometricorum manipulus*. Lectiſſimi ſane flores, quos geometriae hortus

a prima adoleſcentia ab eo cultus, & ſemper auctus ſuppeditaverat. Horum nomine ipſe ſignavit figuras, curva linea quadam per aliquot foliorum ambitum ab uno centro ſe ſe explicantium ducta, circumſcriptas. Habet vero pro numero foliorum flores *bifolios*, *trifolios*, *tetrafolios*, *pentafolios*, *hexafolios*, quibus methodi gratia addit *unifolios*. Lineae, quae flores generant, *Rhodoneae* ab ipſo appellantur. Hae autem per terminos incedunt infinitorum ramorum ab eodem centro prodeuntium, nec non aequalium ſinubus angulorum in data aliqua ratione reſpondentium angulis, quos ipſi rami cum recta datae poſitionis comprehendunt. Conſtans illa angulorum ratio Rhodoneae ipſius ratio propria appellatur. Simplex Rhodonea eſt, quae unica perficitur circulatione, duplex quae duplici, triplex quae triplici, atque ita deinceps. Ejuſmodi Rhodonearum proprietates praecipuas elegantiſſime enucleat Grandius, ſpatia & perimetros dimetitur, omnia XII. propoſitionibus complectens. Harum proprietatum ea maxime commemorabilis mihi videri ſolet, quod Rhodonea, quae unica cir-

culatione perficitur, dimidium ſit ejus circuli, a quo circumſcribitur; quae vero binis, aut quae ternis circulationibus gignitur, ea duorum triumve circulorum dimidium aequet, idemque proportione de reliquis dicito. Ad haec nonnullas earum partes, quin etiam integros flores exhibet, qui abſolute quadrari poſſint. Erat haec ſpinoſa quaedam tractatio atque aſpera, quam tamen expeditam explicatamque reddidit induſtria ſua; calculis praeſertim longiſſimis ad ſyntheſin redactis, qua in re mira ejus perſpicuitas, elegantia, brevitas fuit, & quaſi bonum illius ingenii proprium atque perpetuum. An vero natura cum flores atque arbores alit, ſuccum iis alimentumque ſufficiat ea lege, quae ad Rhodoneas generandas maxime eſt neceſſaria, hujus rei perveſtigationem phyſicis integram reliquit. Et tamen ita rem eſſe inclinabat animus ut crederet; eo quia facilis & prona ſit ejuſmodi curvarum ab circulari figura derivatio, ac veriſimile ſit nutrientem humorem in orbem diffundi. Haec ſi ſtent, illud conſequi videbat, plantarum figuram aliam eſſe in ſeminibus, a-

liam in ipſis plantis maturitatem conſecutis. Etenim Rhodoneae nondum evolutae nil niſi circulos imitantur. Exceptus cum adprobatione plauſuque omnium liber animos Grandio addidit; quare altero libro alios flores complexus eſt, ſive curvas alias, quas honoris cauſſa dicavit Claeliae Borromeae ingenioſae juxta ac nobili feminae; eamque ob rem *Claelias* appellavit; quarum generatio a Rhodoneis ſuperficie tenus differt, quod illae in curva, hae vero in plana deſcribantur. Id vero ad detegendam illarum cum his convenientiam mirifice prodeſt, eo quod applicationi innitatur plani ad innumeras ſuperficierum curvarum ſpecies; ſicque geometrica illa apparet ſimplicitas, qua a planis ad ſolida gradus fit, & quae maxime ad generales conſtituendas methodos conducit. Eſt autem Claeliarum genus unum, quod maxime conſentit Velis a Vivianio quadratis, de quibus ſupra mentionem fecimus; idque contingit cum conſtans angulorum ratio, qua determinantur ſinus, per quorum extrema curva linea ducitur, eſt ratio aequalitatis. Adjecit ope-

ri corollarium, quo nova traditur *meſolabii* conſtruendi ratio ad geminas proportionales expeditiſſime inveniendas. Utraque pars operis in lucem edita an. MDCCXXVIII. poſtero deinde anno in Italicum e Latino converſa ſtudio Thomae Narduccii Patricii Lucenſis, viri in omni geometriae parte praeſtantis, Lucaeque recuſa eſt. Acceſſerunt quaedam ab Auctore ipſo additamenta, ex quibus aliiſque indiciis intelligere poſſis, in his inventis valde ſibi Grandium placuiſſe. Auxerant etiam iis dignitatem nobiles Angliae Mathematici, qui Rhodoneas illas miris laudibus ornarant, atque in *Tranſactiones Philoſophicas* retulerant duobus continuis menſibus Quintili & Sextili an. MDCCXXIII. Neque tum primum decoratum eſt ab Academicis Londinenſibus Grandii nomen. Ab eo enim tempore, quo ipſe in Academiam fuit cooptatus, arbitratus eſt poſſe ſuo jure quodammodo ſibi vindicare, ut quaecumque mitteret probarentur, & civitate donarentur. Multum valuit ad conciliandam hanc doctrinae opinionem *Epiſtola geometrica in ſyſtema ſonorum Narciſſi Archiepiſcopi Armachani*, quam roga-

rogatu Laurentii Magalotti ſcripſit, quaeque relata fuit in volumen *Tranſactionum* anni MDCCIX. Secundo & tertio auctiorem poſtea edidit Grandius, quod ea non mediocriter gloriaretur. Et merito quidem, cum minime ignoraret illam maxime probaſſe Newtonum & Halleyum, ejuſque commendatione praeſertim factum eſſe, ut ipſe in Academiam adſciſceretur. Propoſuerat Narciſſus problemata quaedam, quae maxime idonea putavit ad acuſticam provehendam, analogia ducta ab iis, quae de propagatione, reflexione & refractione lucis iis temporibus demonſtrata fuerant. Aenigmata potius quam problemata dixiſſes; obſcure adeo proponebantur, ut ne inſpecta quidem, quae iis adjuncta erat, figura, Auctoris mentem aſſequi te poſſe putares. Hanc divinare aggreſſus Grandius exiſtimavit Narciſſum in ea fuiſſe ſententia, ſonoras undas in hyperbolas ſinuari concentricas, ita ut ſpatium omne, in quod diffunditur ſonus, ſit ſolidum hyperbolicum, cujus baſis ſit terreſtris hemiſphaerii ſuperficies, altitudo vero ipſius terrae diameter. Hac re poſita inveſtigavit,

quas in curvas inflecti deberent radii phonici, ut omnes eodem tempore ad hyperbolici hujus ſpatii fines appellerent; invenitque has eſſe alias hyperbolas, quibus undae omnes ſonorae ad perpendiculum ſecentur. Neque hac inveſtigatione contentus Grandius, quaeſivit etiam qua proportione aeris denſitas in diverſis a tellure diſtantiis decreſceret, ſi quidem radii phonici eidem ac radii lucidi refractionis legi obtemperantes in memoratas hyperbolas flecterentur; deinde, quae foret lex refractionis, ſi dum radii phonici in eaſdem flectuntur lineas, aeris denſitas eadem proportione cum augeſcente a tellure diſtantia decreſceret. Ex his plura infert jucunda quidem & ingenioſa, minime vero ad uſus phyſicos tranſferenda; nam, ut ipſe Grandius initio epiſtolae animadvertit, luminis ac ſoni proprietates immane quantum inter ſe diſcrepant. Quae adhuc retulimus Grandii geometrica ſcripta talia quidem ſunt, ut eum in magnorum geometrarum numero collocent; ſi vero ea praeſertim ſpectes, quae ante annum MDCCX. exaravit (nam poſt id tem-

pus viſus eſt nonnihil in ſuo curſu conſtitiſſe) non dubitabis quidem cum nobilioribus, uno alterove excepto, qui iis temporibus extitere, geometris ipſum comparare. Quaerebant ex ipſo multi, inſulſe ſane & ſtulte, cur tantum laborem in geometriam inſumeret? His vero reſpondere ſolebat aut vulgato & noto Galilaei dicto (16) aut explicatione earum rerum, quas ipſe, aliique, geometria duce, ad reipublicae commoda procuranda contulerant. Sed etiamſi nulla eſſet utilitas, addebat ille, ex geometria, ipſa tamen propter ſe ipſam amari & excoli deberet. Quanti enim illud faciendum eſt, ſimplicem veritatem non longe & obſcure, ſed prope, aperte & palam intueri? Qua tutiori regula metiri poſſumus ingeniorum vim, tum in inveſtigandis rebus, tum in judicandis? Quo majore ſubſidio hujuſmodi naturae bonum acuere & alere? Nulla unquam aetas de laudibus Archimedis conticeſcet; inventa geomerica Newtoni & Carteſii omnium mortalium fama celebrabit, cum tamen oblivio inobſcuraverit nomina multorum, qui artes non modo utiliſſimas, ſed etiam neceſ-

ſarias caſu magis quam prudentia ducti aut invenere aut perfecere. Quamvis Grandius praeclara adeo de geometria judicia faceret, non tamen geometrae perſonam tantummodo induit; nam & theologi & antiquitatis inveſtigatoris nomen ſibi ipſe merito arrogavit, & in ſuis libris inſcripſit. Mirum vero quantum in his quoque ſtudiis elaboraverit; & immenſa ſane collegerat ad annales Camaldulenſes, & non pauca ad hiſtoriam Academiae Piſanae, invitantibus Moderatoribus, contexendam. Diſtrahebatur quoque ejus induſtria in minima quaedam, quae indigna fortaſſe viro philoſopho videbuntur; & miraberis certe geometricarum rerum in Italia principem inveſtigaſſe diligentiſſime, quo pilei genere olim Monachi, ac praeſertim Camaldulenſes uſi fuiſſent; quot & quales fuerint moderatores alicujus coenobii, & horum ſimilia. Adverſus Jacobum Laderchium ſcriptorem vitae S. Petri Damiani dialogum exaravit, in quo omnes facile agnoſcunt quam illitteratum & inſulſum opus illud ſit, quantaque eſſet inſolentia atque faſtidium Grandii, cum in hu-

juſmodi ſcripta incideret. Fingit ſermonem eſſe inter duos adoleſcentes Gallos, quod Gallos ſcriptores quoſdam, & Dupinium praeſertim, male habuerat Laderchius. Editis quatuor *Colloquiis*, quae inſcripſerat, *Calculus*, *Ferula*, *Scutica*, & *Cenſura*, quintum addidit, cui nomen *Manubrium Scuticae*, ſed poſtremum hoc minime in lucem exiit: omnia quidem occuli potuiſſent, quod nec rem ipſam probo, adeo ubique acerbitas dominatur, & elegantiam deſidero. Non majori in pretio, ut ego quidem arbitror, haberi debent *epiſtolae apologeticae*, aliaque ſcripta, quibus ſub Vitalis Martii nomine latens Fidelem Soldanium Monachum Vallis umbroſae oppugnavit. His Grandius confirmavit, quae de origine *Vallumbroſanorũm*, ut ajunt, Monachorum tradiderat ſuis in Diſſertationibus Camaldulenſibus, & illud in primis, ex quo controverſia nata eſt, S. Romualdum Magiſtrum fuiſſe S. Jo. Gualberti, & ante hunc *Umbroſa* in *Valle* habitaſſe. Habuit etiam Grandius, harum diſſertationum cauſſa, adverſarios alios, & in his (reliquos enim haud commemorandos eſſe puta-

mus) Apoſtolum Zenum. Edito hic ſcripto ſane eruditiſſimo, probavit Grandium XVII. annis citius notaſſe tempora, quibus Petrus Urſeolus Venetorum Dux ad Principatum pervenit, & eo ſe abdicavit. Quae cum ſtarent, plura alia, quae Grandius in ſignandis temporibus ortus obituſque, geſtorumque quorumdam S. Romualdi affirmaverat, corruere neceſſe erat. Quaedam ad Urſeolum pertinentia emendavit Grandius in eo, quem de ejus vita vulgavit, libro an. MDCCXXXIII. rogatu Petri Garzonii Veneti Senatoris praeſtantiſſimi. Quod vero ad Romualdum ſpectabat viſus ſibi eſt poſſe in ſua vetere permanere ſententia. Ajebat enim Romualdum in vitam introiiſſe an. DCCCCXVII. & ab ea exceſſiſſe an. MXXXVII. quae decennio citius accidiſſe affirmabat Zenus. Ex multis, quas habuit Grandius, controverſiis nulla profecto acrior & moleſtior fuit illa, quam ei Bernardus Tanuccius juris prudentiae in Piſana Academia magiſter intendit. Scripſerat Grandius ad Joſephum Averanium Latinam epiſtolam, in qua multa ſane collegerat idonea ad convellendam Henrici Breno-

manni, aliorumque opinionem, quae oppleverat Italiam, Pandectarum codicem, quem diu poſſedere Piſani, extitiſſe temporibus Juſtiniani Caeſaris; hunc juris prudentiae theſaurum ipſos reperiſſe Amalphi, dum hanc urbem an. MCXXXV. depopularentur, & in patriam adſportaſſe; ac demum eoſdem Pandectarum jure non antea uti coepiſſe, quam exeunte ſaeculo XIII. Porro certiſſimis antiquitatis monumentis probavit Grandius a ſaeculo XII. & ante Amalphitanam vaſtationem Pandectarum juri Piſanos fuiſſe ſubjectos, & vel ante illa tempora juris Juſtinianei cognitionem atque interpretationem nonnullis in Italiae locis, ac Bononiae praeſertim, in honore fuiſſe. Hujus vero rei principium ſe inveniſſe gloriabatur in iis, quae Robertus e Monte Monacho Beccenſis Coenobii ad Chronicon Sigeberti Monachi Gemblacenſis addidit. Haec enim habet ad annum MXXXII. *Lanfrancus Papienſis, & Garnerius ſocius ejus, repertis apud Bononiam legibus Romanis Juſtiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere, & aliis exponere.* Non aeque certa ſtatuere ſe poſſe dixit Grandius

de loco, unde Pandectae Piſas delatae fuere.
Conjiciebat tamen aut Bononia per Bulgarum, aut Conſtantinopoli per Jo. Burgundium utroſque Piſanos juris conſultos illas in Etruriam veniſſe, quam poſteriorem conjecturam ſuperiori praetulit Grandius, cum ſecundo epiſtolam ſuam typis commiſiſſet. In hac quaedam eſſe putavit. Tanuccius in ſe acerbe dicta (nam antea facta erat offenſiuncula ſive a Ζηλοτυπία, ſive ab injuria aliqua, ſive, quod probabilius eſt, a partium ſtudio nata) quae ulciſci & perſequi ſtatuit. Multa in publico propoſuit ad attenuanda non modo adverſarii argumenta, ſed exiſtimationem etiam & famam, quae perpetua obrui oblivione merentur. Studuit & concitare Piſanos in Grandium, criminans hunc ingratum injuſtumque fuiſſe, quod ipſos Pandectarum inventionis gloria privare tentaverit. Paria paribus ſic reſpondit Grandius, ut ſe quoque defenſorem nimium litigioſum concitumque ad rixam oſtenderit. Cum vero in eo reprehenſus fuiſſet, quod dixerit: *antiquiorem fortaſſe mentionem Pandectarum apud Petrum Blaeſenſem occurrere, qui*

floruit an. MCLX. *nec univerſum Digeſtorum opus, ſed duntaxat ejus lacinias aut fragmenta innotuiſſe Ivoni Carnotenſi & Gratiano*, nihil non egit ut objecta ſibi ab adverſario, reſpondens ad ſingula, dilueret. Eo factum eſt, ut iterum prodierit in publicum Tanuccius, qui etſi pugnaciſſime defendit ſententiam ſuam, Piſanos inventores fuiſſe Pandectarum, harumque perfectam cognitionem habuiſſe Ivonem, Gratianum, alioſque illorum temporum ſcriptores, rem tamen ita egit, ut excuſans aeſtum quemdam gloriae & aetatis praeteritam acerbitatem improbare videretur. Nihilo tamen minus edita a Tanuccio magis magiſque incenderunt Piſanos in Grandium, adeo ut ipſe verens populi natura aſperi injurias & convicia aliquandiu domi ſe continuerit. Haec dolentes, qui Academiae praeerant, obtinuerunt a Magno Duce, ut ipſe juberet finem aliquando ſcribendi fieri. Fraenum aliquandiu momordit Grandius, mox impotentia elatus ſub Bartoli Luccaberti nomine novum librum, Faventiae dum eſſet, vulgavit, quem ad rejicienda omnia adverſarii dicta, & ad ſua con-

firmanda, plurimum valiturum ſperabat. Is vero, ut Florentiam pervenit, magnos excitavit rumores, parumque abfuit, quin publice, cum flammis jam eſſet damnatus, combureretur. Quamvis judicatum fuerit eruditius & elegantius, quam antea, tum Grandium diſputaſſe, & multa protuliſſe ad illuſtrandam hiſtoriam juris prudentiae ſane utiliſſima, nemo tamen approbavit, illum vulnera, quibus aliqua obducta eſſe cicatrix videbatur, refricaſſe. In eo etiam merito reprehenſus eſt, quod ad conciliandam quibuſdam dictis ſuis auctoritatem opuſculum *de interpolatione Gratiani*, quod tum ex ſua officina exibat, finxerit a Diomede Brava Patricio Tranenſi confectum fuiſſe, editumque Bononiae an. MDCXCIV. Nihil ſevere pro rei indignitate reſpondit Tanuccius; plurimumque ii laudandi ſunt, qui pacem inter hos viros honoratos & in Piſana Academia principes conciliarunt. Pacis conditio fuit, ut ſe abſtineret Grandius a confutando libro Jo. Baptiſtae de Vico *de novae ſcientiae principiis*, cujus auctoritate abuſus erat Tanuccius. Neque hoc ſolum fecit, ſed nullum etiam reſpon-

ſum dedit Brencmanno, qui Grandium ipſum & Schwarzium in Academia Altorſiana profeſſorem (plura enim ſibi cum hoc conveniebant) refellendos ſuſceperat. Ad eas laudes, quas Grandius a multis, & praeſertim a Ludovico Muratorio & Uberto Benvoliento accepit ob convictos vulgares errores de inventione Pandectarum, & ob bene declaratum tempus, quo valere & vigere coepit in Italia Juſtinianeum jus, addidit plures ſuas; exiſtimavitque poſſe eadem de ſe praedicare, quae de Auguſto effert Macrobius. *Soleo*, inquit ille, *in Auguſto magis mirari quos pertulit jocos, quam ipſe quos protulit; quia major eſt patientiae quam facundiae laus; maxime cum aequanimiter, aliaque etiam jocis mordaciora pertulerit*. Cum iis, quas diximus, controverſiis extincta eſſe arbitramur injuſta Piſanorum odia in Grandium. Porro neminem facile reperies, qui aeque ac Grandius de illorum urbe atque Academia bene meritus ſit. Narravimus ſupra praeclaris conſiliis ſuis Piſani agri ſalubritati utilitatique illum proſpexiſſe. Quidquid corrogabat pecuniae, Piſani coenobii commodis deſtina-

bat, quod per viginti omnino annos rexit; cuique bibliothecam ſatis copioſam, & pecuniam ad eam quotannis augendam legavit. Egit cum Muratorio, ut plura antiquitatis monumenta ab ſe collecta, quaeque Piſarum laudes miro illuſtrabant, ederentur. Illo conſiliario & auctore aſtronomica Specula Piſis aedificata eſt; illo doctore tanquam ad mercaturam geometricarum artium quamplurimi ad Academiam veniebant; adeoque celebrabatur illius nomen, ut decus ac lumen ipſius Academiae eſſe videretur. Hujus optimorumque ſtudiorum cauſſam egit adverſus calumniantes Jeſuitas, a quibus doctores ii, qui a minutis inſulſiſque Scholaſticorum diſputationibus ad naturam contemplandam adoleſcentes traducebant, Catholicae religionis hoſtes vocabantur. Hortari illi non ceſſabant proficiſcentes ad Academiam, ut ſi quando inciderent in Anatomicos, Chemicos, & Phyſicos praeſertim, a quibus in experimentis habendis opera conſumeretur, *averterent oculos ne viderent vanitatem*. Multa etiam ſtulte & arroganter conſcripſerat ex illorum numero quidam cogno-

mine Briga, ad rapiendos in invidiam Piſanos Doctores, cum Florentiae *Philoſophiam novo-antiquam* (ſic enim inſcribitur poema quoddam Thomae Cevae) emiſiſſet. Mentes enim anguſtae, humiles, Peripateticorum oppletae tenebris & ſordibus nomina ipſa magnorum hominum, ſplendorem illorum gloriae nec intueri nec ſuſtinere poterant. Facile autem fuit ſemidoctos quoſdam trahere in ſuas partes, qui audaciam virtutis, furorem fortitudinis, temeritatem conſilii nomine appellabant. In tanta rei indignitate minime ſilendum Grandius putavit, atque *Diacriſi* Latinis verſibus conſcripta, Praefationis & Poematis auctores levitatis convicit. Ex quo intelligi poteſt pluris illi fuiſſe Academiae, quam amici (jamdiu enim amicitia conjunctus erat cum Ceva) dignitatem. Cum natura impelleretur Grandius, ut prodeſſe vellet quamplurimis, in primiſque docendo, rationibuſque prudentiae tradendis, non eſt credibile quantos labores hujus rei cauſſa pertulerit. Extremo autem tempore volens etiam poſt mortem conſulere mathematicarum diſciplinarum ſtudioſis,

illarum elementa perficienda, & vulganda ſuſcepit. Itaque in librum, quem *de ſectionibus coni* edidiſſe diximus, plura utiliſſima addidit; neque ita multo poſt typis mechanicam commiſit, in qua pauca deſideres, quae ad ſex antiquorum machinas, ad pendulorum motum, vireſque percuſſionis & gravitatis pertinent. Nam opticam & algebram multo antea ſic tractaverat, ut nihil abſolutius & elegantius iis temporibus fieri potuiſſe videatur. Elementa item Euclidea in Italicum convertit; poſtea Inſtitutiones arithmeticas & geometricas ex ſe genuit; in quibus poſtremis laudabis praeſertim ea, quae ſpectant proportiones inter ſegmenta rectarum duarum a punctis extremis laterum cujuſvis anguli ductarum in latera oppoſita, atque inter eorumdem oppoſitorum ſegmenta laterum. Hac in re adeo proceſſit Grandius, ut Ptolemaeum, Theonem, Reinaltum, ceteroſque longe poſt ſe reliquerit. Iis vero, quibus elementorum tractatio minus digna illius ſumma doctrina videbatur, reſpondere ſolebat; non ſegetibus ſolum & vineis res rusticas laetas eſſe, ſed pomariis

etiam & hortis, tum pecudum paſtu atque apum examinibus, tum florum omnium varietate. Efferebatur vero laetitia cum contemplaretur uberes ſuorum laborum & vigiliarum fructus in optimae ſpei, quos inſtituebat, adoleſcentibus; tantumque aberat ab invidentiae ſenſu, ut, ſi quis eorum longius proceſſiſſet, ipſe eſſe vellet ejuſdem doctrinae ingeniique praedicator & teſtis. Sunt in hanc rem teſtimonia, quae de Thoma Perellio ad Caeleſtinum Gallianium aliquando ſcripſit, quaeque hic, ne fraudare velle hominem ſummum debita laude videamur, ſubjiciemus (17). De Joſepho Vernaccinio Piſano narrabat, illum, dum adhuc eſſet ignarus earum rerum, quae de proportionibus traduntur (non enim ultra IV. Euclidis librum progreſſus fuerat) ſeptem & quadraginta variis modis Euclideam de hypotenuſa propoſitionem per ſe demonſtrare potuiſſe. Flevit Grandius vehementer de cariſſimi diſcipuli morte, quam Arni aquis merſus miſere obivit, cum trium & viginti eſſet annorum (18). At ſi ipſe caros habuit diſcipulos ſuos, non minus ab iis dilectus eſt.

Novi ego complures, qui, cum vivam illius benefactorum memoriam tenerent, hanc immortalem reddere ſtuduerunt. Praeter eos, quos nominavi, Grandii diſcipulos ſilentio minime praetereundi mihi videntur collega illius Claudius Fromondus, homo quidem magnae doctrinae, ſed novitatis mirum in modum ſectator, quem in geometria domi tradenda interdum habuit diligentiae ſuae vicarium, & Thomas Narduccius, qui, quidquid ſciebat, unice ſe debere Grandio profitebatur. Inter hunc & Grandium plura ſunt ſcripta & communicata de phyſicis & mathematicis rebus, prodieruntque in lucem epiſtolae, quas Grandius ad ipſum dedit de viribus, ut Leibnitius loquebatur, vivis aeſtimandis. Secutus Carteſium oſtendit has vires augeri eadem proportione cum maſſa & velocitate; adeo infirmavit praecipuum, ſatiſque notum Hermanni, quicum ſibi res erat, argumentum, ut hunc, ſi minus de priſtina ſententia deduxit, ejus tamen argumenti levitatem fateri coegerit; dogmata Camuſii de viribus elaſticas laminas comprimentibus aliqua ex parte emendavit; ac de-

ac demum falſum eſſe probavit argumentum, quod pro Carteſianis excogitaverat Lovillus, quodque Fontenellius in Pariſienſis Academiae an. MDCCXXVIII. commentaria retulerat. Exquiſita doctrina & ſingularis induſtria Grandii non ſolum diſcipulis ſuis, ſed & omnibus iis, qui illas requirebant, profuere. Cujus rei plurima ex ejus epiſtolis proferrem teſtimonia, niſi vererer fatigare lectores. In Michaelis Angeli Tillii vita pluribus narravimus (19), quanto ei Grandius adjumento fuerit in quibuſdam phyſicis experimentis habendis. Et phyſicae cultores omnes fidelis naturae interpres, percurioſus, & minime mendax, ſapientiſſimis conſiliis monebat, videbatque etiam atque etiam ne cognitioni & experientiae aſſertio approbatioque praecurreret, quod praepoſterum philoſophandi genus tum in more poſitum Scholaſticorum opera eſſe videbatur. Omnino ſic habeto, neminem a conſiliis dandis, poſtulatiſque faciendis diſtrictiorem fuiſſe Grandio, qui hoc ſapientis hominis eſſe putabat praeſtantiam doctrinae, quam quis conſecutus eſſet, impertire ſuis atque

cum proximis communicare. Cum pro munere, quod illi ſodales detulerant, inviſere deberet omnia ſodalitatis coenobia, ſtuduit ubique optimarum diſciplinarum amorem accendere; ſuoque exemplo potuit facile dormientes excitare, currentibuſque ſtimulos addere. Utilia praeſertim de ſtudiorum ratione ſtatuit Romae, quo conceſſit an. MDCCXXXIV. Hoc tempore Pontificis juſſu cognoſcere debuit de Galli cujuſdam Epiſcopi litteris, quibus contendebat, adverſus Caeſarienſis Concilii decreta fieri, ſi eo anno Paſcha VII. Kal. Majas celebraretur, & XIV. lunam paſchalem cadere in XV. Kal. ejuſdem menſis. Scripto probavit Grandius minime novas eſſe hujuſmodi expoſtulationes; ſed Eccleſiam tenuiſſe ſemper atque ſervaſſe Nicaenorum Patrum praeſcripta. Quod vero ad XIV. lunam ſpectabat, hanc unice defenſionem habuit, non videri illam incidere in XV. Kal. Majas, qui tum dies erat Saturni, ſed in ſequentem, quod circa mediam noctem contingeret. Ceterum hac in re Grandius Caſſinii aliorumque ſummorum aſtronomorum ſententiam ſecutus fateri minime dubitavit a perfe-

ſtione abeſſe, quae Gregorius XIII. ſciverat ad corrigendum Calendarium; & quoties in hunc ſermonem delaberetur, ſolitus erat dicere, maximas laudes deberi Aloyſio Lilio, mediocres Chriſtophoro Clavio, & nullum eſſe cyclum, qui omni vitio careret. Dum agit cum Pontifice Grandius, oblata eſt ei occaſio declarandi maximas utilitates, quae ſperari potuiſſent, ſi ad exitum perveniſſent conſulta a ſe de derivanda ex Pado quadam portione aquae, cujus ope Rhenus facile ad mare uſque fluere poſſet. Sententiam Grandii una voce & conſenſu approbarunt Bononienſes; ſed Romani judices, cum quadriennio diſputatum eſſet, repudiarunt. Dona habuit Grandius a Pontifice, ſingulareſque honores ab omnibus iis, qui haud erant ignari, quid valeat ſapientia. Cum ſatisfeciſſet *Viſitatoris*, ut vocant, muneri, & repulſam a ſuis ſummae dignitatis accepiſſet, Piſas remeavit, ubi ſi vitam otioſam ſine labore & contentione (& quietem profecto defatigatus illius animus poſtulabat) traduxiſſet, minime fortaſſe in tanta, quanta perferre debuit, mala incidiſſet. Exeun-

te an. MDCCXXXVII. coepit vacillare memoria, idque malum brevi adeo crevit, ut aegre nomina eorum, quibuſcum verſabatur, meminiſſet. Nihilo tamen minus a ſchola, a ſtudiis, & a ſcriptione noluit ceſſare, quae cum praeſtare ſine ſumma difficultate non poſſet, non erant ſine dolore & miſeratione ſpectantium. Hujus infirmitatis ſigna dedit in epiſtolis, praefationibus & ſcholiis, quae tum addidit ſuis geometricis & mechanicis Inſtitutionibus, ceteriſque in rebus, quae ſcriptoris, non geometrae prudentiam (nam res ipſae adhuc in memoria haerebant) requirerent: quanquam intelligentium judicio pauca quaedam ſunt etiam in iiſdem mechanicis Inſtitutionibus, in quibus Grandius erraſſe videtur. Cunctantem & prolatantem adhibere remedia ingens vis morbi adorta eſt, ſummaque debilitas conſecuta exeunte an. MDCCXL. Stupor etiam paullo poſt ipſum oppreſſit, ſic tamen ut intelligeret ſe miſerrimum eſſe, & illam, quam tum vivebat, minime eſſe vitam. Hoc in ſtatu cum ſexdecim & amplius menſes fuiſſet, mortem obivit IV. Non. Quint. an. MDCCXLII.

Quoad ſivere tenues reliquiae virium rem ſacram facere, & publicis precationibus adeſſe voluit, quod religioſus homo pio Dei cultu unice ſe recreari diceret. Collegae illius non ſolum luctu, ſed etiam pompa exequiarum, laudatione, & monumento mortuum honorarunt. In monumento vero hoc legitur elogium.

D. GUIDONI GRANDIO CREMONENSI.
CAMALDUL. ORDINIS EXGENERALI.
ANNOS XX. MONASTERII HUIUS ABBATI.
IN PISANO LYCEO PRIMUM PHILOSOPHIAE.
DEINDE MATHESEOS PROFESSORI CELEBERRIMO.
GEOMETRAE NULLI SECUNDO.
EDITIS INGENII PRAECLARIS MONIMENTIS CLARISSIMO.
THEOLOGO SUMMO. PONTIFICII ET CAESAREI IURIS.
HISTORIAE CUM SACRAE TUM PROPHANAE.
PERITISSIMO.
QUOD TEMPLUM HOC PRETIOSA SUPELLECTILE.
MONASTERIUM AEDIFICIIS BIBLIOTHECA.
REDITIBUSQUE EIDEM ATTRIBUTIS LOCUPLETARIT.
D. AUGUSTINUS FORTUNIUS FORZONIUS-ACCOLTIUS.
MONACHUS.
EIDEM BIBLIOTHECAE PRAEFECTUS.
VIRO DE UNIVERSO ORDINE. DE LITTERARIA.
REPUBLICA.
DE SE OPTIME MERITO.

PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM.
OBIIT IV. NONAS IULII CIↃ IↃCCXLII.
AETATIS SUAE ANNO LXXII.

Nunquam ſcribendi finem facerem, ſi omnia memoria digna de Grandio, quae ſupereſſe videntur, declarare vellem. Ad ea tamen, quae narravi, nonnulla addam, ne notior ſit ejus in re litteraria labor, quam integritas conſuetudoque vitae. Homo, qui ſe invictum a labore praeſtitit, tentari quidem, ſed minime vinci a voluptate potuit, adeo ut iis etiam delectationibus renuntiaſſe videretur, quae ad vitae commoditatem jucunditatemque plurimum conducunt. Quare minime eſt mirandum ſi non multos habuerit amicos, quos caſus magis ſtudiorumque ſimilitudo, quam voluntas & judicium ei conciliavit. In beneficiorum memoria gratus & pius cognoſci voluit, & ipſe benefica voluntate movebatur erga homines praeſertim litteris deditos. Ex his nominabo Jo. Lamium, qui Grandii commendatione & precibus, hominis nobiliſſimi Pallavicinii a bibliotheca fuit. Libertatem vivendi, ut vel-

let, pronuntiandique judicii ut ſentiret in primis amavit, quod nullo eſſet artificio ſimulationis eruditus. Miror vero non parem illis, qui ſibi contradicerent, libertatem largiri conſueviſſe, praeſertim cum novitate in iis, quae ad hiſtoriam pertinent, ut in hac quoque re ſimilis eſſet Newtoni & Leibnitii, delectaretur. Ab inferenda injuria alienus illatam fortiter propulsavit, ſolitus uſurpare dictum illud Pythagorae, *vas acetarium remove procul abs te*. Nullam artem adhibuit ad colligendas laudes: praedicari tamen de ſe & nominari plurimum gaudebat, & interdum ſua pleno ore laudabat. Quod vitium eo in loco, iiſque temporibus, quibus nonnulli juniores Doctores de ſenioribus, prudentioribusque maledice, contumelioſeque loquebantur, aliquid excuſationis habet, prope ut concedendum, atque ignoſcendum eſſe videatur. Et ſane Grandio ampla laudum ſuarum materies poterant eſſe, quae ediderat, mathematica ſcripta, ſummorum virorum de iis teſtimonia, quae undique ab eo petebantur conſilia, liberales invitationes Clementis XI. Sardiniae Regis & Veneti

Senatus, qui illius operam requiſiere, gratia & benevolentia Coſmi III. & Benedicti XIV., elogia nobiliſſimarum Academiarum, in quas cooptatus erat, flos juventutis ab eo inſtitutae, quae narrans fiduciam ſe potius geſtarum rerum & morum, quam arrogantiam prae ſe ferre arbitrabatur. Studia, quae ſibi eximia & praeclara videbantur, quaeque ipſe excoluerat, laudibus in caelum efferebat, cetera aut contemnebat, aut parvi faciebat, ex quo offenſionem ſaepe excepit. Miraberis fortaſſe hominem moribus paullo aſperiorem & duriorem & mathematicis diſciplinis omnino deditum poeſin ſemper amaſſe, & quantum ejus patiebantur occupationes, excoluiſſe: quanquam, mea quidem ſententia, ea vis ingenii, qua quis in ſublimiori geometria excellit, non multum diſcrepet ab ea, qua quis in poetica valet. Profecto facilis & expeditus erat. Grandius ad pangenda carmina (ex tempore etiam eum fudiſſe Italicos verſus accepimus) & Latinas eclogas ſaepe Romam ad Arcades collegas ſuos miſit, & interdum etiam ipſe in eorum coetu tum Latina, tum Italica

poemata recitavit. Iſtorum nonnulla ſunt in manibus, & ea laudari, non timens hominum aſſentationem, ad decus & laudem ſuam magni intereſſe putabat. Nihil quidem in vita magnopere eſt expetendum niſi honeſtas & laus; ſed gloriae definiendi ſunt modi, ab homine praeſertim philoſopho, de cujus laudibus omnium eſt fama conſentiens. Sed ita erat natura comparatus Grandius, ut non raro in minimis res ſuas poneret. Quapropter minime eſt mirandum ſi magna contentione a Clemente XI. petierit, ut Abbas fieret, vehementerque doluerit, quod ſe honores petentem ſuffragiis ſuis collegae praeterierint, quaſi non repulſam, ſed ignominiam, etiam calamitatem retuliſſet. Parce ſobrieque & ad majorum diſciplinam vixit. Corpore craſſiori fuit, commoda ſtatura, naſo amplo, crine rubro, liberali facie, ſed deformitas apparebat in inceſſu omnique corporis motu. Prima ſpecie bonum libenter dixiſſes, magnum non item. Ejus ſimilem formam incidit Antonius Selvius in numiſmate, quod Antonius Franciſcus Gorius faciendum curavit. Talis fuit vir, cujus merita

in litteras nec oblivione eorum, qui ſunt, nec reticentia poſterorum poterunt eſſe ſepulta.

ADNOTATIONES.

(1) *In epiſtola ad Franciſcum Arriſium data VIII. id. Octobris* 1730. Io poi debbo confidare a VS. Illuſtriſſima una coſa, ed è che quel . . . . . non ſapendo che ſi riſpondere all' ultimo libro ſtampato in mia difeſa, va continuamente ſparlando di me, che ſia nato vilmente. Io ho riſpoſto, che ſono ben figlio d'un pover' uomo, ma di famiglia oneſta e civile; anzi mi dicevano i miei, quando era ragazzo, che già foſſe la mia Caſata nobile, e che Lodovico Grandi mio nonno aveſſe per ſeconda moglie una di caſa de' Conti Maggi, da cui nacque Pietro mio zio, da cui più volte ho ciò inteſo, e che nell' ultima guerra di Cremona perdettero tutto il loro avere, e perciò rimaſero privi di beni di fortuna li quattro fratelli di mio padre. Che ſia ciò vero non lo ſo, e non ne ho mai cercato; ma ora, che ſi pretende di rinfacciare la baſſezza de' natali, bramerei d'averne qualche lume, ſe VS. Illuſtriſſima poteſſe favorirmene. Se la caſa Legati di mia madre foſſe civile non lo ſo: era figlia di Margherita Luicelli, come anche il Dottor Lorenzo Legati, il quale ne ſa memoria.

(2) *P.* 264. *&* 479. *Hae de se ſermonem habens ipſe Grandius in Praefatione libri, qui inſcribitur:* Quadratura Circuli & Hyperbolae *haec ait*. Quid addam

de Cl. Parentio qui an. MDCCV. . . . . generalem complanationem conicae ſuperficiei rectae per comparationem ad ſuam ichnographiam in proportione lateris coni ad radium baſis deſignavit; id quod ego jam an. MDCLXXXXVIII. inveneram, & MDCLXXXXIX. inter Vivianea noſtra in appendice de Fornicibus conicis edideram ac demonſtraveram, neſcius idem ſub aliis terminis in Actis Lipſiae MDCLXXXXVI. a D. Io. Bernoullio ſine demonſtratione indicatum fuiſſe?

(3) *Qui cum Grandio de principatu contendere potuiſſet Gabriel Manfredius ipſum appellat* Italiae Analyſeos Principem. *Epiſt. XII. Kal. Mart. an. 1603. Primus certe Italorum Grandius fuit, qui ſcriptis editis res analyticas tractavit.*

(4) *Haec ad Grandium Leibnitius ſcripſit XII. Kal. Sext. an. 1705.* Poſtremo ad profectum ſcientiae pertinet, ut methodos per ſolutionem problematum exerceamus. Sic non ita pridem D. Io. Bernoullius propoſuit hoc problema: dato (poſitione) arcu curvae, invenire aliam curvam infinitis modis, cujus arcus aliquis a nobis aſſignandus arcui dato ſit aequalis, & ita ut, poſito datam curvam eſſe Algebraicam, etiam quaeſita ſit Algebraica; quod a me eſt ſolutum, diverſa methodo ab ea, qua ipſe eſt uſus.

(5) Appendix II.

(6) *Ita ille*: Dico eam infiniti vim agnoſcendam, ut etiam quod per ſe nullum eſt multiplicando in aliquid commutet, ſicuti finitam magnitudinem dividendo in nullam degenerare cogit; unde per infinitam Dei Creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omniaque in nihilum redigi poſſe, neque adeo abſurdum eſſe, quan-

titatem aliquam, ut ita dicam, creari per infinitam vel multiplicationem, vel additionem ipſius nihili, aut quodvis quantum infinita diviſione, aut ſubductione in nihilum redigi. *De quadr. circ. & hyperb. pag. 29. ſecund. edit.*

(7) Admiſſis variis infinite parvorum ordinibus concipere poſſumus omnia in ſemine contenta ex uno ad alium gradum ſubinde promoveri; ut nempe dum ad ſenſibilem magnitudinem perveniunt, quae erant in primo gradu infinitae parvitatis, ſuccedant ad hunc primum gradum, quae erant in ſecundo, & ad ſecundum quae erant in tertio, & ſic deinceps. Quod valet etiam de plantulis, quae in ſeminulis primo ſemine contentis latent cum ſuis infinities adhuc minoribus ſeminulis continentibus plantulas alias infinities minores, atque ita in infinitum. *In Praelud. Poet. ad lib.* de Infinit.

(8) *Hac de re ita aliquando ad Magliabechium ſcripſit.* Ricevei nell' ordinario reſcritto l' articolo conſaputo del Giornale, ed è appunto ad litteram. La Lettera, che ſcriſſe in Franceſe il Varignon al mattematico di Padova, da cui già mi era ſtata comunicata, come le ſcriſſi, e non ſo, perchè ora l' abbia laſciata ſtampare il Sig. Ermanno, quando egli medeſimo avverte poi nella lettera ſcritta a me (di cui gli mandai un ſaggio) che il Sig. Varignon parla così per non aver veduto il mio libro, dove è tanto nettamente eſpoſta la controverſia, e con tale evidenza dimoſtrato l' aſſunto, che non ha il Varignon d' onde ſcappare. Biſognerebbe che li Sigg. Giornaliſti ſi prendeſſero l' incomodo di ſtampare almeno nel ſeguente Giornale uno ſquarcio di mia lettera su tale propoſito,

oppure una traduzione di quelle due lettere che io le mandai del Bernoulli e dell' Ermanno, giacchè ſi ſono preſi la briga di ſtampare ciò che avea ſcritto il Varignon prima di vedere il mio libro. Sebbene a me ciò poco importa, perchè infatti eſſo Varignon quì confeſſa i varj ordini d'infiniti, altri infinitamente maggiori degli altri, che è la coſa ſteſſa, che appunto io pretendo, ſebbene ha difficoltà di chiamarli più che infiniti, il che non è più che controverſia di nome, e di un nome, in cui ſono convenuti tanti grand' uomini, anzi da lui medeſimo confeſſato, come appariſce dalla lettera del Bernoulli, ſebbene poi per coſtanza, (propria alla ſua nazione) l' ha di bel nuovo meſſo in lite ſenza alcuna ragione.

(9) *Notavit Leibnitius etſi poſſit dici* --- 1. *& ſimiles dicendi modos ſignificent nihilo minora, non tamen dare rationes niſi imaginarias, quarum antecedens, aut conſequens ſit quantitas nihilo minor, ſeu rationem* --- 1. *ad* 1. *vel* 1. *ad* --- 1. *eſſe imaginariam. Quod inter alia ex eo probat, quia huic rationi vel ſimili nullus reſpondeat logarithmus. Vide ſis prae caeteris Walmesleyum in commentariis Berolinenſis Academiae an.* 1755. *pag.* 397. *ex quo facile intelliges quid de hujuſmodi ad infinitum pertinentibus controverſiis judicari debeat.*

(10) *Hujus eſt inſcriptio*: De motu corporum nonnulla.

(11) Data recta linea in dato puncto inaequaliter ſecta punctum invenire, ex quo ad terminos datae lineae datumque in ea punctum ductis rectis lineis quadrara ductarum ad terminos ſuperent quadratum ductae ad datum punctum ſpatio quodam dato (dummodo hoc majus ſit duplo rectanguli ſub ſegmentis datae lineae) ſi-

mulque ut ipſa data linea minima eſſe probetur omnium per datum illud punctum tranſeuntium, & rectis a puncto quaeſito per ipſius datae lineae terminos productis, interceptarum.

(12) *Horum eſt inſcriptio:* Galilei Lemma circa gravium momenta a Vitali Jordano inſtauratum.

(13) *Caeſar Bifoloctus Jordani vitam ſcripſit, quae extat in volum. III.* delle Vite degli Arcadi illuſtri.

(14) In Praefat. ad Differt. de cohaerentia corporum *haec ait:* Denique celeb. Grandi re atque nomine Grandis in libro Italice conſcripto, *Riſpoſta Apologetica* dicto, adverſus Cl. Marchettum Reſiſtentias ſolidorum tractavit, illaſque paucis propoſitionibus ex ſublimi geometria petitis mirifice amplificavit.

(15) *Prop.* 14. & 20.

(16) *Ajebat enim:* dalle dimoſtrazioni della geometria, attenenti alle miſure, a'peſi, ed a' numeri, s'impara a miſurare i goffi, a peſare gl'ignoranti, e a numerare gli uni e gli altri.

(17) *Il ſuddetto Giovane [Perelli] è tutto innamorato dell' analiſi moderna, e ne ha un maneggio mirabile, di maniera che ſcioglie i problemi più ardui di Fiſico-Mattematica da ſe, nè vi è coſa aſtruſa negli atti di Lipſia, nel Newton, nell' Ermanno, nel Bernoulli, o altri Autori, che egli ſolamente letta la propoſta, ſubito non ne trovi la dimoſtrazione analitica in poche righe di calcolo, dimoſtrando e le leggi delle forze centrali per qualunque curva, e le curve, che ſoddisfanno a diverſe leggi delle forze centrali, e le catenarie in qualunque ſuppoſizione di gravità variabile, e le velarie, e l' elaſtiche, e le trajettorie per mezzi di varia reſiſtenza, e aſſai più facilmente,*

che non ſarei io, perchè non ha il capo diſtratto, come ho io, in altre coſe.

(18) *Ita mortem ingenioſiſſimi adoleſcentis deflevit Iu-ſius Franchinius Piſtorienſis.*

S O N E T T O

Barbaro fiume, più crudele hai l'onda
Di quella, onde di Scilla il gorgo è pieno,
Se infida allor che a te ſcherzava in ſeno
Un de' tuoi più gran figli uccide e affonda,
Forſe temea che con più giuſta ſponda
Egli al ſuo corſo un dì poneſſe il freno?
Ne d' Alfea la laſciaſſe il bel terreno
Scorrere impetuoſa e furibonda?
Ella temea sì, ma più temea
Il vicin mar, cui tributario ſei,
E cui domar quei già penſava il dorſo.
Ambo empj ſiete; ei comandò la rea
Opra, e tu l' eſeguiſti. Ecco i trofei
Voſtri: ecco rotto ai gran diſegni il corſo.

(19) *Vid. Vol. IV. p. 179. & ſeq.*

OPERA EDITA.

Geometrica Demonſtratio Vivianeorum Problematum, quae in exercitatione geometrica Etruſco idiomate anno 1692. cum ſola determinatione prodierant circa formationem ac dimenſionem cujuſvis regularis Architectorum Fornicis, exactumque Tetragoniſmum infinitarum partium curvae ſuperficiei tum ſphaericae novi admirandi Fornicis Veliformis Florentini, tum cylindricae antiqui Scaphiformis Romani, Cum Latina omnium verſione Italico textui

adjunƈta, variis notis & ſcholiis locupletata : addita etiam Appendice de geometrica quadratura infinitarum partium curvae ſuperficiei Conicae variorumque Fornicum ex iis compoſitorum, Auƈtore D. Guidone Grando &c. Regiae Celſitudini M. E. D. Coſmi III. Florentiae 1699. ex Typographia Jacobi de Guiduccis prope Conduƈtum in 4. *Pluribus in libri locis quaedam problemata proponuntur, quae ſe probaturum promittit Grandius in opere, quod in manibus habebat* de ſeƈtionibus ſphaeroconicis, ſphaerocylindricis, & ſphaeroconoidicis : *ſed hoc nunquam abſolvit.*.

Geometrica Demonſtratio Theorematum Hugenianorum circa Logiſticam, ſeu Logarithmicam lineam, qua occaſione plures geometricae methodi exhibentur circa Tangentes, Quadraturas, Centra gravitatis, Solida &c. variarum curvarum, uti infinitarum Parabolarum, Hyperbolarum, Spiralium &c. aliaeque geometricae veritates illuſtrantur Addita epiſtola geometrica ad Patrem Thomam Cevam S. J. Auƈtore D. Guidone Grando &c. ad Sereniſſimum Ferdinandum III. Magnum Etruriae Principem. Florentiae 1701. Typis Regiae Celſitudinis apud Petrum Antonium Brigonci in 4. *Recuſum Amſtaelodami fuit an.* 1728. *inter opera poſthuma Hugenii. In fine operis indicatur modus quadrandae hyperbolae per Traƈtoriam, cujus demonſtrationem Polenius, calculo uſus ſuo, poſtea invenit. Vid. ejus Epiſtolam ad Hermannum de conſtruƈtione Traƈtoriae*.

Quadratura Circuli & Hyperbolae per infinitas hyperbolas & parabolas geometrice exhibita. Addita demonſtratione dimenſionis hyperbolae per Traƈtoriam & de patiorum variorum menſura, & calculo differentiali &c.

Ad

Ad Sereniſſimum Principem Joannem Gaſtonem ab Etruria. Piſis 1703. apud Franciſcum Bindi in 8.

Sejani & Rufini Dialogus de Laderchiana Hiſtoria S. Petri Damiani. Pariſiis 1705. apud Bartholomaeum Didier. in 4.

Diſſertationes Camaldulenſes, in quibus agitur. I. de Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis. II. de aetate S. P. Romualdi. III. de viſione ſcalae, & habitus mutatione praetenſa. IV. De S. Petri Damiani & Avellanitarum Inſtituto Camaldulenſi. Obiter etiam multa eccleſiaſticae & profanae Hiſtoriae loca illuſtrantur & corriguntur. Auctore D. Guidone Grando &c. ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Principem Ferdinandum de Abdua S. R. E. Cardinalem &c. Lucae 1707. Typis Mareſcandoli in 4. maj.

Diſquiſitio geometrica in ſyſtema ſonorum D. Narciſſi Archiepiſcopi Armachani. *Extat in commentariis Acad. Londinenſis an.* 709. *Edita iterum Neapoli fuit an.* 1731. *a Deramio, & tertio in Vol. XXV. collectionis Calogerianae. Venet.* 1742.

De infinitis infinitorum, & infinite parvorum ordinibus Diſquiſitio Geometrica, in qua variis utriuſque generis gradibus demonſtratis tum methodi infiniteſimalis fundamenta oſtenduntur, tum praecipue pluſquam infinita ſpatia hyperbolica Valliſii adverſus nuperrimos eorumdem Impugnatores vindicantur. Auctore &c. Piſis 1710. ex Typographia Franciſci Bindi in 4.

Quadratura circuli & hyperbolae per infinitas hyperbolas & parabolas quadrabiles geometrice exhibita & demonſtrata. Editio altera auctior & accuratior, in qua praeter alia multa ad veterem appendicem de re-

ſtificatione curvarum, altera acceſſit de earumdem & curvilineorum ſpatiorum transformatione infinitis modis expedienda. Auctore &c. Piſis 1710. ex Typographia Franciſci Bindi in 4.

Conſiderazioni del P. D. Guidone Grando, e del Sig. N. N. ſopra la Scrittura del Sig. Lucantonio Porzio circa il moto de' gravi per il piano inclinato, dedicate al Sig. Luigi Anavaſcali da F. M. Roma 1710. in 12.

Cl. V. D. Guidonis Grandi Camaldulenſis Regiae Celſitudinis M. D. Etruriae theologi & mathematici in Piſana Univerſitate publ. phil. Profeſſoris & Regiae Societatis Sodalis, Epiſtola mathematica de momento gravium in planis inclinatis, deque directione fulcri in mechanicis attendenda. Ex Authographo iterum edidit, novis illuſtravit adnotationibus, & adverſus Tambuccianam Epiſtolam opportunis vindiciis munivit Marius de Caeniga Auctoris diſcipulus. Lucae 1711. Typis Peregrini Frediani in 4. *Latebat ſub nomine Marii Caenigae Joſephus Vernaccinius*.

Antilunatio, in cui con dugento note ſacre, aſtronomiche e varie ſi ſcuoprono e ſi emendano alcuni sbaglj occorſi nel Lunario ſtampato in Lucca queſt' anno 1711, sotto nome del Canonico Pier-Leonardo Ricci da Empoli, Opera di Niccolò Ripardieri Chierico della Pieve di Montopoli. Aggiuntavi nel fine una tavola corretta del levar del Sole, mezzo giorno e mezza notte; calcolata diligentemente all' elevazione di gradi 43. di polo più comune per la Toſcana. Al merito impareggiabile dell' Illuſtriſs. Sig. Antonio Magliabechi Bibliotecario

dell' A. R. di Coſimo III. Granduca di Toſcana: Dublino 1711. appreſſo Zaccaria Conzati in 4.

Epiſtola Marii Caenigae Hieronymo Tambuccio. *Scripſit hanc epiſtolam Grandius Arretii Id. Sext. 1711. in 4.*

Dialoghi del P. M. Grandi Camaldoleſe Teologo ec. circa la Controverſia eccitatagli contro dal Sig. Dott. Aleſſandro Marchetti. In Lucca 1712. ad iſtanza di Franceſco Gaddi librajo in Piſa in 4.

Riſpoſta Apologetica del P. M. D. Guido Grandi Camaldoleſe, Teologo, e Matematico dell' A. R. di Toſcana, e Profeſſore Ordinario di Filoſofia nello Studio di Piſa all' oppoſizioni fattegli dal Sig. Dott. A. M. (*Aleſſandro Marchetti*) nella ſua dotta Lettera diretta all' Eccellenza del Sig. B. T. (*Bernardo Treviſano*). Si difendono con tal' occaſione il Galileo ed il Viviani, e ſi illuſtrano molte dottrine circa la reſiſtenza de' corpi duri, e circa la forza dell' infinito. In Lucca 1712. per Pellegrino Frediani in 4.

Proſtaſis ad exceptiones Cl. Varignonii libro de infinitis infinitorum ordinibus oppoſitas circa magnitudinum pluſquam infinitarum Valliſii defenſionem, & anguli contactus, cum infinite parvo ad centrum oſculantis circuli conſtituto, comparationem. Auctore &c. Piſis ex Typographia Franciſci Bindi 1713. in 4.

Soluzione di due Problemi Meccanici d' Italia. *Extat in vol. XV.* del Giornale de' Letterati. Venet. 1713. *Solutio, quam fecit Grandius, extat etiam in Actis Lipſienſibus an.* 1714.

Rifleſſioni ſopra la Controverſia vertente fra gl' Illuſtriſs. Sigg. Marcheſi Riccardi e Niccolini circa l' alza-

mento d' una Peſcaja nel fiume Era . Piſa 1714. per Franceſco Bindi in fogl.

Nuove Conſiderazioni fatte dopo l' acceſſo del meſe di Giugno dell' anno 1714. ſopra la controverſia vertente fra gl' Illuſtriſs. Sigg. Marcheſi Riccardi e Niccolini circa l' erezione d' una Peſcaja nell' Era ad uſo d' un mulino. Agl' Illuſtriſs. Sigg. Giudici della Cauſa. Firenze 1714. per Michele Neſtenus ec. in fogl.

Eſame della ſcrittura pubblicata dal Sig. Dottor Geminiano Rondelli nella famoſa cauſa del mulino dell' Era. All' Illuſtriſſimo &c. Marcheſe Franceſco Riccardi Maggiordomo Maggiore, e Conſigliere di Stato di S. A. R. In Firenze 1715. per Michele Neſtenus, e Antonio Borghigiani in fogl.

Relazione I. e II. circa il padule di Fucecchio del P. M. Grandi Teologo, e Matematico di S A. R., e Profeſſore pubblico di Matematica nell' Univerſità di Piſa. All' Illuſtriſſimo Signor Marcheſe Franceſco Ferroni. In Lucca per Leonardo Venturini 1715. in fogl.

Relazione delle operazioni fatte circa il Padule di Fucecchio ad iſtanza degli intereſſati; e rifleſſioni circa le medeſime del Reverendiſſimo P Abate Grandi Teologo, e Matematico di S. A. R. ec. Agl' Illuſtriſſimi Signori Giudici delegati ſopra il medeſimo padule. In Lucca per Leonardo Venturini 1715. in fogl.

Informazione agli Ufiziali dell' Ufizio de' Foſſi di Piſa circa una nuova terminazione propoſta dell' Era.

Memoria che contiene le ragioni per l' unione del Reno di Bologna col fiume Po tradotta dal Franceſe (dal

Signore Euſtachio Manfredi) ed accreſciuta di trenta note per riſchiaramento della materia.

Del movimento dell' acque Trattato geometrico del P. Abate D. Guido Grandi ec. in 4. *Haec Grandii ſcripta ad rem aquariam pertinentia, quod non mediocriter ipſam ſcientiam illuſtrant & augent, conjecta fuerunt in collectionem illam, quae* degli Scrittori dell' acque *edita eſt Florentiae an. 1723. Legi etiam poſſunt in ea collectione, quae prodiit Parmae an. 1766. vol. III.*

Nuovi Lemmi appartenenti al Trattato d' Archimede de' ſolidi natanti. *Extant in vol. I.* degli Scrittori dell' Acque. *Firenze* 1723.

Due Sonetti, e una Canzone di Dubeno Erimanzio. *Hoc nomine appellabatur Grandius in Arcadum Academia. Haec vero carmina impreſſa fuerunt in vol. VII. carminum Arcadum, quae collegit Marius Creſcimbenius: Romae 1717. Ipſe Creſcimbenius partem Latinae eclogae, quam fecerat Grandius, conjecit in vol. II. Comment.* Della volgar poeſia.

Lectorum Clauſtralium Camaldulenſium auctoritate Reverendiſſimi Definitoris in deſignatis Monaſteriis conſtitutorum jus ferendi ſuffragii in Capitulis generalibus ſui Ordinis excluſive quoad pubblicos Profeſſores ſaecularium Univerſitatum ſola Principum auctoritate delectos, aſſertum & demonſtratum per Tiberium Vedmannum J. C. adverſus Diſſertationem, qua ſimile jus ſibi deberi praetendit D. Juſtus Venturinus Theologiae Moralis in Florentino ſtudio Profeſſor. Ad Reverendiſſimos PP. Generalem & Viſitatores Camaldulenſes in fogl. *Quamvis hoc ſcriptum non ſignetur anno & loco impreſſionis, ſcimus tamen Piſis & an. 1718. illud impreſſum fuiſſe.*

Trattato delle Reſiſtenze principiato da Vincenzio Viviani per illuſtrare l' Opere del Galileo, ed ora compito e riordinato colla giunta di quelle dimoſtrazioni, che vi mancavano, dal P. D. Guido Grandi Abate Camaldoleſe, Matematico di S. A R. e dello Studio Piſano in 4. *Extat inter opera Galilaei, quae edita fuerunt Florentiae an.* 1718

Propoſizioni appartenenti al movimento de' corpi ſolidi nei mezzi fluidi. *Ibidem extant.*

Note al Trattato del Galileo del moto naturale accelerato del P. Abate D. Guido Grandi Matematico di S. A. R. e dello Studio Piſano. *Ibidem extant.*

Epiſtola geometrica ad Franciſcum Ariſium pro Mariano contra P. Clavii cenſuras. *Extat in Tom. II. Cremonae liberatae pag.* 439.

Votum, ſive ſententia de geometrica, non autem arithmetica, ratione in propoſita facti ſpecie attendenda &c. in Florentina praetenſae laeſionis. Flor. 1721.

Florum geometricorum manipulus R. S. exhibitus. *Extant in ejuſdem R. S. Londinenſis* Tranſactionibus an. 1723.

Lettera geometrica al Signor Tommaſo Narducci intorno alla maniera di aſſegnare la ragion de' tempi conſumati dal mobile nello ſcorrere un pian declive, e nello ſcorrerne due. *Extat in libro ejuſdem Narduccii, qui inſcribitur:* Paragone de' Canali. Lucca 1723. in 12.

Q. Lucii Alphaei Diacriſis in ſecundam editionem Philoſophiae novantiquae R. P. Thomae Cevae cum notis Jani Valerii Panſii. Auguſtoduni 1724. ſumptibus Piorum in 4. maj.

Epiſtola de Pandectis ad Cl. V. Joſephum Averanium. Piſis 1726. in 4.

D. Guidonis Grandii in Piſana Academia Matheſeos Profeſſoris, & S. Michaelis in in Burgo Abbatis Epiſtola de Pandectis ad V. Cl. Joſephum Averanium in eadem Academia J. Interpretem celeberrimum, editio altera cum notis variis, & appendice veterum monumentorum ab Auctore locupletata. Florentiae 1727 Typis R. C. apud Tartinium & Franchium in 4.

Eſame del progetto del nuovo Molino propoſto nell' Albereta dell' Anconella del Reverendiſſimo P. D. Guido Grandi ec. Per il venerabile Spedale di S. Maria Nuova, ed altri intereſſati nel piano di Ripoli. In Firenze 1727. per Pietro Matini in fogl.

Scrittura del Reverendiſſimo P. Abate D. Guido Grandi ec. diretta agl' Illuſtriſſimi Signori Auditori di Rota della Sereniſſima Repubblica di Lucca ſopra la controverſia dell' Acque vertente tra la Menſa Arciveſcovile di Lucca, e li Nobili Signori Buonviſi ed Orſerti da una parte, e il Nobile Signor Lelio Guinigi dall' altra. In Lucca 1728. per Leonardo Venturini in fogl.

Flores geometrici ex Rhodonearum & Claeliarum Curvarum deſcriptione reſultantes, quos una cum novi expeditiſſimi Meſolabii Auctario Illuſtriſs. atque Excellentiſs. D. D. Claeliae Grillo-Borromeae Comitiſſae Clariſſimae & Doctiſſimae in obſequii ſui ac venerationis argumentum D. D. D. D. Guido Grandius Abbas S. Michaelis in Burgo Piſarum & in Piſana Academia Publ. Matheſeos Profeſſor. Florentiae 1728. Typis R. C. in 4.

D. Guidonis Grandii Sac. Theologiae Doct. Cre-

monenſis Abbatis S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in ejuſdem Urbis Academia publ. Matheſeos Profeſſoris Vindiciae pro ſua Epiſtola de Pandectis Florentiae ſecundo edita cum notis &c. adverſus inanes querelas, & oppugnationes Bernardi Tanuccii I. U. D. Stienſis in eadem Academia Caeſaris Juris Interpretis in ejus libello non ita pridem Lucae impreſſo expoſitas. Piſis 1728. Typis Jo. Dominici Carotti in 4.

Diomedis Brava Patricii Tranenſis Diſquiſitio Critica de interpolatione Gratiani. Bononiae 1694. Apud Haeredes Benaccii in 4.

I Fiori geometrici del P. Abate Grandi tradotti in Toſcano dal Sig. Tommaſo Narducci Patrizio Luccheſe, coll' aggiunta d'alcune dimoſtrazioni dell iſteſſo Autore. Lucca 1729. preſſo Franceſco Mareſcandoli a Pozzotorelli in 4.

Nuova diſamina della Storia delle Pandette Piſane, e di chi prima le rammentaſſe; come ancora d' altre incidenti queſtioni collo ſcioglimento delle difficoltà oppoſte all' epiſtola de Pandectis, e alle Vindicie del Reverendiſſimo Padre Abate Guido Grandi, da Bernardo Tanucci Dottor da Stia. Opera di Bartolo Luccaberti diviſa in quattro parti. In Faenza nella Stampa dell' Archi 1730. in 4.

Breve Compendio della vita, morte, e miracoli di S. Pietro Orſeolo Doge di Venezia, indi Monaco ed Eremita Santiſſimo. In Venezia 1731. in 8.

Riſpoſta del P. D. Vitale Marzi da Faenza Monaco Camaldoleſe alle queſtioni Vallombroſane del P. M. D. Fedele Soldani da Poppi Monaco Vallombroſano al

Reverendiſſimo P. D. Floriano Maria Amigoni Abate Generale dell' Ordine Camaldoleſe. In Faenza nella ſtampa dell' Archi 1732. in 4.

Lettere apologetiche del P. D. Vitale Marzi da Faenza Monaco Camaldoleſe in difeſa della ſua riſpoſta già data alle QQ. Vallombroſane del P. M. D. Fedele Soldani Monaco Vallombroſano. In Faenza nella ſtampa dell' Archi 1733. in 4.

Lettere del P. Abate Grandi al Sig. Tommaſo Narducci Patrizio Luccheſe circa la miſura delle forze de' corpi in moto. *Extant in libro Narduccii, qui inſcribitur:* Della quantità del moto dell' acque. Lucca 1733. in 4.

De formulis Bon. Mem. Piae Mem., & ſimilibus, ad perſonas viventes aliquando applicatis, diſſertatio. *Extat in vol. IX. Collect. Calogerianae. Venet.* 1733. *Hac diſſertatione probavit Grandius adverſus Gianningum Bollandiſtam formulam illam* Piae Memoriae, *quam Tedaldus Epiſcopus Aretinus S. Romualdo tribuit, non certo indicare, tam Sanctum illum mortem obiiſſe.*

Vita del Glorioſo Principe S. Pietro Orſeolo Doge di Venezia, indi Monaco, ed Eremita SS. ſcritta da un Religioſo Camaldoleſe, e conſacrata al Sereniſſimo Carlo Ruzzini Doge di Venezia. Venezia 1733. per Giuſeppe Bettinelli in 4.

Lettera al Sig. Jacopo Bettazzi. *Exſtat in hujus opere, quod inſcribitur:* Epitome operis Paſchalis. Flor. 1733.

Officium Parvum S. Michaelis. Venetiis 1734.

Diſceptatio Neopilea in defenſionem Decreti Capitularis Monachorum Camaldulenſium circa mutationem colo-

ris Pilei. Piſis an. 1735. ex Typographia Joannis Dominici Carotti in fogl

Scrittura in riſpoſta a' queſiti de' Signori Giudici della Controverſia fra la Comunità di Sinalunga, e l' Illuſtriſſima Religione di S. Stefano circa il rilaſciamento d' alcune acque ſtagnanti. In Siena 1737. preſſo il Bonetti in fogl.

Sectionum Conicarum Synopſis, cujus Auctor D. Guido Grandius Cremonenſis &c. Neapoli 1737. expenſis Bernardini Geſſari in 8.

Epiſtola ad Angelum Mariam Quirinum, qua reſpondetur exceptioni, quam ipſe Quirinus expoſuit erga Euclideam demonſtrationem lib. VII. Prop. XXI. Theo. XIX. *Hanc Epiſtolam vulgavit Fortunatus a Brixia in libro qui inſcribitur:* Animadverſiones in propoſit. 21. lib. VII. Elem. Eucl. Brixiae 1738.

Lettera al Sig. Senatore Pier Franceſco Ricci ſopra il benefizio d' una Specula Aſtronomica in una Univerſità. *Extat in vol.* *XX. Collect. Calogerianae. Venet.* 1739.

Epiſtola ad V. C. P. D. Virginium Valſecchium. *De Origine agit Italicae linguae, & plura exhibet monumenta antiquitatis, quae probare videntur, quomodo illa ex Latina lingua hanc traxerit originem. Cum ſimile argumentum tractandum ſuſcepiſſet Muratorius, & hanc de re librum an. 1739. Mediolani edidiſſet, locum in eo dedit huic Grandii Epiſtolae.*

Inſtituzioni Meccaniche. Trattato del P. Abate D. Guido Grandi ec All' Illuſtriſſimo e Clariſſimo Signor Senator Pier-Franceſco Ricci Preſidente dell' Illuſtriſſima Sacra e Militare Religione di S. Stefano, Auditore e

Moderatore Vigilantiſſimo dello Studio Piſano. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1739. in 8.

Vita S. Bononii Abbatis cum notis. *Notae ad Grandium pertinent, vita vero ad ſcriptorem quem floruiſſe ſaeculo XI. ipſe conjicit. Extat in volumine XX. Collect. Calogerianae. Venet.* 1740.

Elementi geometrici piani e ſolidi di Euclide poſti brevemente in volgare dal P. Abate D. Guido Grandi Camaldoleſe, Profeſſore di Mattematica nell' Univerſità di Piſa. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1740. in 8.

Inſtituzioni di Aritmetica pratica del P. Abate D. Guido Grandi Camaldoleſe ec. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1740. in 8.

Epiſtola geometrica ad P. D. Petrum Urſeolum Ponte, Monachum Camaldulenſem. *Extat in vol. XXII. Collect. Calogerianae.*

Inſtituzioni geometriche del Reverendiſſimo P. Abate D. Guido Grandi ec. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1741. in 8.

Ragguaglio Iſtorico delle Badie Camaldoleſi. Piſa in 12.

Scripſit Grandius ea, quae extant in Vol. IV. del Giornale de' Letterati d' Italia *de libro* de infinitis infinitorum ordinibus; *& quae narrant controverſias, quas cum Varignonio (Vol. VI.), & cum Marchetto (Vol. XV. & XVII.) idem habuit.*

OPERA INEDITA.

In hoc contexendo Catalogo eum ipſum ſervabo ordinem

quem tenuit Ambroſius Soldanius, qui pro ſuo ſtudio in Grandium, & in ſuam Camaldulenſium Sodalitatem omnia, quae habere potuit, Grandii ſcripta collegit, & in XLIV. volum. diſtribuit, quae nunc ornant Piſanam Camaldulenſium Bibliothecam.

Vol. I. Diverſe Scritture appartenenti alle Viſite per l' introduzione del Reno in Pò del 1716. 1719. 1720. 1721. e 1729. *Collegit Grandius accurateque deſcripſit non tam ſua, quam ſcripta aliorum Mathematicorum, qui has res tractare debuerunt.*

Vol. II. Eadem ferme, ſi argumentum ſpectes, in hoc volumine continentur quae in ſuperiori. Haec omnia perfectam hiſtoriam ſuppeditant earum rerum, quae tractatae & perfectae ſunt totis ferme ſexdecim annis, quibus de ejuſmodi controverſiis conſultus eſt Grandius. Extrema in parte Voluminis extant ejuſdem Grandii Italicae *Inſtitutiones Algebrae.*

Vol. III. Scritture, e Memorie ſopra il bonificamento della Campagna Piſana.

.... ſopra la Campagna di Groſſeto.

.... ſopra la Controverſia tra i Sigg. Bonviſi, e Orſetti e i Sigg. Guinigi.

.... ſopra i danni cagionati dalle rotte del fiume Evola.

.... per le differenze vertenti fra le Comunità di Barga ſoggetta al Granduca di Toſcana, e quella di Gallicano, e Fiattone ſuddite della Repubblica di Lucca. *Diarium fecit Grandius earum rerum, quas geſſit & ſcripſit in hac controverſia, de qua conſultus etiam fuit Euſtachius Manfredius. Varia ad Hiſtoriam Liburni pertinentia.*

Vol. IV, Plura habet Volumen iſtud pertinentia ad

ſlumen Era, quibus cauſſam dedere controverſiae inter nobiles Familias Niccoliniam & Riccardiam. Scripta quaedam Grandii hac de re ſemel iterumque, & tertio typis impreſſa fuere.

Relazione e Viſita ſopra il Ponte del Foſſo della Vicinaja.

.... della Guſciana, e del Territorio del Valdarno di ſotto. *Extant in hoc Volumine minora nonnulla veluti*: Riſpoſta al Queſito ſe il num. 3. poſſa dirſi tal parte di 5. qual è l' 8. di 13. ovvero di 14. Parere in cauſa vertente tra la Religione di S. Stefano e 'l Monte di Pietà.

Vol. V. Totum hoc Volumen contexitur ex iis rebus, quae pertinent alla reſtituzione del Fiume Peſcia di Peſcia nel ſuo letto antico; ai Lavori propoſti nel Lago di Fucecchio; alla reſtituzione della Nievole nell' antico ſuo letto; *de quibus rebus ſcripta a ſe quaedam in vulgus edidit Grandius.*

Vol. VI. Scritture, Memorie, e Lettere, e Viſite per lo ſcolo dell' Acque ſtagnanti di Sinalunga. *Extrema in parte hujus Voluminis extant, quae Euſtachius quoque Manfredius hac ſuper re ſcripſit.*

Vol. VII. Scritture circa il rimedio dovuto alla corroſione della deſtra ſponda dell' Arno dirimpetto a Barba Regina.

Lezione detta nell' Accademia della Cruſca delle reſiſtenze de' fluidi.

.... nell' Accademia Fiorentina, in cui ſi confuta la dottrina di Famiano Michelini, che il fluido riſtretto in un vaſo non graviti nelle parti laterali.

.... della cagione, perchè i corpi ſi riflettano urtando in qualche oſtacolo.

Epiſtola altera Joſepho Averanio de Pandectis.

Rifleſſioni ſopra gli Scritti d' Architettura di Bartolommeo Vanni.

De rationibus tum majoris, tum minoris inaequalitatis, tum etiam aequalitatis, dummodo inter finitarum magnitudinum terminos verſentur.

De Cometa, qui apparuit anno 1723.

Marii de Caeniga Demonſtratio diſcriminis inter famoſum paradoxum Magni Galilei de puncto aequali circumferentiae, & Corollarium Guidonis Grandi de eadem linea infinities poſita, & infinities ſubtracta aequivalente dimidio ſui. *Eadem Demonſtratio in Italicum ſermonem translata & aucta extat in Volumine XXXV.*

Lettera ſopra un Ecchiſſe Lunare del dì 13. Febbrajo 1729.

Vol. VIII. Dialogo ſecondo, terzo, e quarto con alcune lettere circa la controverſia col Dottor Aleſſandro Marchetti.

Vol. IX. Praeter ea, quae edita ſunt in ea quam habuit Grandius controverſia cum Jordano & Tambuccio, continet volumen iſtud plures epiſtolas, quae ad hanc ipſam controverſiam pertinent.

Vol. X. Inſtitutiones Phyſico-mechanicae. Eaedem Italica lingua conſcriptae. *Non omnia quae continentur in his manuſcriptis inſtitutionibus locum habuere in libro, quem hac de re edidit Grandius. Et perfectius quidem opus eſſet, ſi plurima in eo omiſſa ex his inſtitutionibus ſumerentur ad illud ipſum augendum atque ornandum.*

Vol. XI. Haud commemoranda eſſe viderentur Volumen iſtud, & quod ſequitur

Vol. XII. in quibus de Sectionibus Conicis agitur (has enim Grandius in lucem edidit) niſi multae extarent in iis Epiſtolae, & alia geometrica plura, quae minime ſunt edita, & quae ad idem opus pertinent.

Vol. XIII. Praelectiones variae de meteoris, *aliae de* Hydroſtatica, *& aliae demum* de Operibus Archimedis, ejuſque inventis.

Vol. XIV. Tractatus varii de rebus phyſicis.

Relazione ſopra il nuovo letto preparato all' Ombrone per deviarlo dalla ſregolata ſua e dannoſa curvatura. *Extant in fine plura ad Analiſyn pertinentia.*

Vol. XV. Praelectiones de rebus phyſicis.

Vol. XVI. Nil aliud continet, niſi figuras magna ex parte coloratas, quibus aut uſus eſt, aut uti meditabatur Grandius in rebus geometricis praeſertim tractandis.

Vol. XVII. Statuta & Leges Academiae Piſanae, vulgo de' Rozzi.

Quaedam de recta Paſchae Indictione.

Diſſertatio de B. Virginis Mariae in Caelum Aſſumptione.

De Libris Sancto Dionyſio Areop. attributis.

Commentaria in Vitam S. Romualdi a Petro Damiano conſcriptam.

V*ol. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. Omnia his Voluminibus contenta pertinent ad Hiſtoriam Familiae Camaldulenſium*, ex *iiſque nonnulla ſunt edita*, *ut* Diſſertationes Camaldulenſes, Diſceptatio Neopilea &c.

Vol. XXIII. Vita e culto di S. Pietro Orſeolo con altre Vite e Memorie di Santi Camaldoleſi.

Vol. XXIV. Scritture e Voti in varie Cauſe, e Trattati Teologici.

Vol. XXV. XXVI XXVII XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. Inſcribuntur haec Volumina: Exercitationes geometricae. *Non multa in iis Voluminibus ſunt quae ſingulatim commemoranda eſſe videantur: pleraque horum ſcripſit Grandius cauſſa aut memoriae juvandae, aut praeparandae materiae ad Mathematica Opera conficienda. Extant etiam in his Voluminibus Epiſtolae quaedam ad Thomam Cevam, Laurentium Lorenzinum, & alios.*

Vol. XXXII. Inſtitutiones Conicae, Geometricae, & Arithmeticae. *Pauca hic habes, quae non ediderit Grandius.*

Vol. XXXIII. Algebrae, ſive Analyticae Elementa.

Vol. XXXIV. Rifleſſioni ſopra il Diſcorſo del Sig. Marchetti ultimamente pubblicato contro la Riſpoſta Apologetica del P. Maeſtro Grandi.

Terza parte della Riſpoſta Apologetica del Padre Grandi alle oppoſizioni contenute nel Diſcorſo pubblicato ultimamente dal Sig. Aleſſandro Marchetti. *Extant in extrema parte Voluminis* Inſtitutiones Phyſicae *inchoatae, ſed non perfectae.*

Vol. XXXV. Praeter edita ſcripta de Pandectis, aliisque rebus extant in hoc volumine, quae commemoranda videntur: Eſperienza intorno al Calor della Luna, e Notizie dello Specchio Uſtorio, che conſervaſi nella Galleria di Firenze.

Vol. XXXVI. Praeter Colloquia adverſus Laderchium jam edita, extat in hoc Volumine Colloquium quintum, quod inſcribitur; Manubrium Scuticae.

Vol.

Vol. XXXVII. Nobiliſſimae Paternae ac Maternae ſtirpis S. Romualdi Abbatis Diſquiſitio genealogica. *Continentur etiam in hoc Volumine:* Vitae aliorum Sanctorum Camaldulenſium.

Vol. XXXVIII. Miſcellanea, *ſed non magni momenti, partim hiſtorica, partim mathematica.*

Vol. XXXIX. Carmina & Miſcellanea.

Vol. XL. Dialogus inter Coccejum & Giaſum de Quinti Sectani ſatyris.

Vol. XLI. Martyrologium Camaldulenſe. Pars. I. & II.

Vol. XLII. Experimenta Phyſico-Mechanica excerpta ex libro Hauksbee.

Vol. XLIII. Hiſtoria Academiae Certantium.

Vol. XLIV. Della Muſica piana, teorica, e pratica. *Pertinet ad idem argumentum parvum aliud volumen.*

Voluminibus ſexdecim continentur Epiſtolae Clarorum Virorum ad Grandium; *tribus vero continentur ejuſdem Grandii Epiſtolae, quae reperiri potuerunt. Multa quidem ſunt his omnibus in Voluminibus publica luce digna, & ea praeſertim, quae inter Leibnitium, Lorenzinium, Manfredios fratres, Hermannum, Narduccium, Cannetum, Cevam, & Grandium ipſum tractata ſunt.*

Optica. *Extat apud Thomam Perellium.*

Sunt qui narrant, Grandium convertiſſe e Siculo in Etruſcum ſermonem Poema quoddam Philippi Parutae, quod inſcribitur la Geloſia, *illudque extare Ravennae in Bibliotheca Camaldulenſium. Diligentiſſime conquiſitum minime reperiri potuit; quare ſit narrationi fides. Quae geſſerit Grandius, ut haberemus copioſam epiſtolarum Ambroſii* Traverſarii *collectionem, & quae ſcripſerit ad illius vitam*

explicandam ſciri poſſunt ex Praefatione Laurentii Mehus; qua Florentinam earumdem epiſtolarum editionem ornavit. Admonendi ſunt lectores, ne minima quaeque nos notaſſe putent in contexendo catalogo Grandii operum, quae adhuc hominum luce carent. Dabunt iidem Lectores veniam, ut hoc loco exſcribam tres inſcriptiones, quarum una extat Ravennae in veſtibulo Bibliothecae Camaldulenſium, altera Piſis in aditu Coenobii eorumdem Camaldulenſium, tertia demum in praediolo, quod belle Grandius ipſe aedificavit in Colle Lugani.

I.

D. O. M.

Guidoni Abb. Grandio Cremonenſi in Piſano Lyceo Philoſopho & Mathematico Geometriae Principibus facile comparando aquis Tuſciae dirigendis Praefecto Reg. Societatis Londinenſis Socio omnigenae eruditionis cultori & Scriptori Pontificibus Maximis Magnis Ducibus Etruriae Litterariae Reipublicae probatiſſimo Abbates & Monachi Claſſenſes ut optimus hujus Coenobii alumnus qui ſapientiae & religioni vixit poſterorum memoriae vivat & exemplo Ann. MDCCXLVII. P. C.

II.

Guidoni Grandio Ordinis Camaldulenſis omnium fere diſciplinarum cultori praeſtantiſſimo Mathematicarum vero in Piſana Academia Profeſſori longe celeberrimo hujus Monaſterii quod vetuſtate obſoletum & male materiatum honorifice & eleganter reſtauravit ac pene a fundamentis erexit Abbati vigilantiſſimo Monachi veluti parenti optimo in grati animi teſtimonium obſequentiſſimi poſuerunt Nonis Maji MDCCXXIX.

III.

Reverendiſſimus D. Grandius Abbas Viſitator Camaldulenſis Mathem. Diſciplinae in Piſana Academia Prof. ampliſſimus poſtquam Piſis ingenti ſumptu Monaſterii S. Michaelis ab ipſo reformati decori & ornamento proſpexit de Monachorum ſalute cogitans villam hanc ſalubri ſub coelo a fundamentis erexit cujus beneficii & liberalitatis ejuſdem Monaſt. familia memor perenne hoc in grati animi ſignificationem M. P. A. C. MDCCXL. .

Angelus Fabronius

Josepho Slopio

S. P. D.

J*Amdiu eſt ex quo pollicitus fueram me de Jacobo Philippo Maraldio ſcripturum. Rem idcirco diſtuli, quod ſperaveram a me collectum iri monumenta ad illius vitam copioſe declarandam idonea. Verum me ſpes fefellit, & pauca, quae attuli, vereor ne indigna judicentur homine, qui aſtrorum ſcientiam ſic celebravit, ut nemini ingenii perſpicacia, & obſervandi diligentia aſſiduitateque conceſſerit. Qui de Italia ſaepe queruntur, quod majorum gloriae minime reſponderit in his ipſis aſtronomiae ſtudiis colendis, ſi iniqui eſſe noluerint, venerabuntur nomina Caſſinii, Maraldii, Blanchinii, Manfredii, ut de multis aliis ſileam, & praeclara illorum inventa cum memoria repetierint, tum fortaſſe ſuarum querelarum illos poenitebit. Et ne ſolum praeterita recordemur, aetati quoque noſtrae gratulabimur, quod per te Piſis, per a-*

lios vero ſummos homines Bononiae, Patavii, Mediolani, & Auguſtae Taurinorum aſtrorum ſcientia pulcherrime excolatur. Illud ipſum oppidulum Podii Reinaldi, quod in lucem edidit Caſſinium & Maraldium, eo nunc gloriatur aſtronomo, quo ſuperiorem fortaſſe Gallia ipſa non habet; quae quidem quod ei quaſi ſinum & gremium matris aliquando tribuerit, nunc dolere videtur patriae & tranquillitatis amore tantam virtutem a ſe diutius abeſſe. Jam intelligis me loqui de Jo. Dominico Maraldio, qui patrui, de quo nunc ſcribendum ſuſcepimus, ſcriptorum & doctrinae heres extitit, & qui quamvis fama ubique celebretur, humana tamen omnia inferiora ducit virtute. Quae caſtitas illius! quae ſanctitas! quanta gravitas, quanta conſtantia! quanta moderatio! Haec ipſa quae de eo jure meritoque praedicamus, non dubito quin animo illius modeſtiſſimo odioſa ſint futura, cum nihil velit minus quam nominari. Beatum tamen ſe judicare debet, quod cum ductus ad patruum in adoleſcentia fuiſſet, contigerit ei unum atque idem optimum & conjunctiſſimum exemplar, quodque eum potiſſimum imitandum habuerit, cui natura ſe eſſe ſimillimum

voluit. Deus faxit, ut in hoc commentariolo quamdam effigiem mortui inveniat, & ne me plane operam in ea exprimenda perdidiſſe exiſtimet. Vale, vir doctiſſime, & quamvis noctes & dies in uno opere aſtronomico urgearis, fac tamen noſtra ſic legas, ut ſi quid litura corrigendum ſit, moneas.

Piſis III. Non. Quint. MDCCLXXXI.

Jacobus Philippus Maraldius.

JAcobus Philippus Maraldius natus eſt XII. Kal. Sept. an. MDCLXV. in eo Comitatus Nicenſis oppidulo, quod vulgo Perinaldum appellant, patre Franciſco Maraldio, matre vero Catharina Caſſinia, quae ſoror erat Joannis Dominici Caſſinii, quo neminem praeſtantiorem in aſtrorum ſcientia noſtram tuliſſe Italiam vere poſſumus affirmare. Animum & mentem ſuam ipſa cogitatione avunculi aliorumque hominum excellentium cum conformaret Maraldius, brevi eo pervenit, ut ſui non ſolum ſperare, ſed etiam confidere poſſent magnum illum ornamentum patriae & familiae additurum. Invitatus itaque ab avunculo, ut Pariſios atque ad ſe ſe iter intenderet, libentiſſime illius paruit voluntati, cum ageret annum ſecundum ſupra viceſimum. Ita vero ipſum diligebat, ita venerabatur, ut illo formatore morum & magiſtro uteretur. Rarum hoc eſſe videbatur in urbe, in qua nimia ambitione luxuriare dixeris vivida adoleſcentium ingenia. Statim ſa-

piunt, ſtatim ſciunt omnia; neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt. Sed longe alia ratio Maraldii fuit, cujus haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur, haec praecipua eruditio quod diſcere ab eruditiſſimis volebat. Semper ille aut de vitae officiis, aut de ſtudiis avunculum conſulebat, & quotidie magis & melior & doctior evadebat. Cum non amplius ut diſcipulus, ſed ut ſocius & comes Caſſinio aſtrorum curſum obſervanti adeſſet, idque auctoritate & juſſu eorum, qui Pariſinae Scientiarum Academiae praeerant, coepit cogitare qua ratione & ipſe poſſet viribus ſuis de nobiliſſima facultate aſtronomiae benemereri. Haec quidem unius ſaeculi ſpatio multos progreſſus fecerat Tychonis, Kepleri, Galilaei, Bouillaudi, Hevelii & Caſſinii opera. Motus cauſſae tamen & leges, quibus univerſa mundi machina regitur, diu incognitae fuerunt. Newtonus tanquam lux quaedam nova apparuit, effecitque ingenio, quo praeditus erat omnino ſingulari, ut magis innoteſcerent naturalium eventorum cauſſae, quam ipſa eventa. Pluri-

mum igitur intererat obſervationum numerum augeri, & experiendi artem quodammodo ad ſupera atque caeleſtia transferri. Novae propterea conſtruendae erant tabulae, quae Newtoni divina effata atque praedicta confirmarent. Nam Rodolphinae, quae fama ceteras ſuperabant, ut pote a Keplero confectae, quodammodo conſenuiſſe videbantur, cum tempus ipſum, & quae mox inventa fuerant inſtrumenta patefeciſſent multa in iis eſſe menda, quae correctione indigebant. Magnorum igitur virorum curae ſicuti Flamſtedii & Halleii in Britannia, Caſſiniorum, Hairii & Maraldii in Gallia eo ſpectarunt, ut planetarum motus certius innoteſcerent atque definirentur. Cum ad Jovem oculos convertiſſet Maraldius, vidit illico cum in Kepleri, tum in Bouillaudi tabulis male notatum fuiſſe locum aphelii illius planetae. Poſt id comparatis ſuis obſervationibus cum Chaldaicis quibuſdam tertio ante Aeram Chriſtianam ſaeculo habitis, agnovit nodos ejuſdem planetae quatuordecim & amplius gradus retrogrados fuiſſe, idque motui iiſdem proprio tribuendum. Ex motu etiam Jovis in ſua or-

bita rationem reddidit, quare poſt tres ejuſdem planetae converſiones maculae quaedam quarto in ſatellite apparuerint, quae obſervatio quanti facienda ſit, pluribus docuit vir aſtrorum ſcientia praeſtans Baillius (*). Si Jupiter & Sol a terra ſpectentur, octuaginta trium annorum ſpatio ad idem caeli punctum redibunt, quod ſuarum & Tychonis obſervationum comparatione aſſequi potuit. Diu perſecutus eſt Martem, ſed nulla non laude celebrandum eſſe Keplerum pronuntiavit, quod hujus planetae theoriam pulcherrime adeo conſtabiliverit, ut vix quidquam illi addi poſſe videretur. Pauca tamen correxit, quae miram obſervatoris diligentiam declarant. Ad id parallaxin ejuſdem planetae ſecundo minuto minorem invenit, quam a Caſſinio anno MDCLXXII. definita fuerat. Non pari ſucceſſu Keplerus, quamvis Tychonis obſervationibus uſus eſſet, tabulas Saturni condiderat. Multo labore ac ſudore in iis corrigendis verſatus eſt Maraldius, & ex iis, quae hac de re ad Academicos Pa-

(*) *Hiſtoire de l'aſtronomie moderne Tom. II. p. 452.*

riſienſes collegas ſuos retulit, quilibet judicare poterit, quanti operis quantaeque difficultatis ſit alicujus planetae motus recte definire. Etenim qui hoc profiteatur, neceſſe eſt ut is in promptu habeat magnam obſervationum copiam tum veterum tum recentiſſimarum ad eaſdem inter ſe comparandas; praeter quam quod expeditus ille eſſe debet ad exploratiores methodos adhibendas, novaſque, ſi opus erit, inveniendas; neque ſolum eidem induſtria, ſed etiam ingenium acuendum erit, quod vix quidquam ſtatui poſſe videtur, quod non incurrat in maximas difficultates. Toto ferme an. MDCCXIV. cum Maraldius oculos ad Saturnum adjeciſſet, quod per illa tempora ejuſdem planetae annulus e conſpectu hominum diſcedere debebat, mirifice Hugenii theoriam confirmavit, non mediocriter augens hominis immortalis gloriam, dum ſuae ſerviret. Nunquam vero ſatis laudari poteſt induſtria Maraldii, quam adhibuit in perficiendis Jovis ſatellitum tabulis, qua de re ſaepe ad Academicos Pariſienſes verba fecit. Hi quidem nunquam non plauſere illius obſervationibus, & mirari maxi-

me viſi ſunt, quod primus omnium animadverterit eclypſes ſatellitum non aeque durare, quamvis eadem ſit diſtantia nodorum. Haec & alia hujuſmodi non pauca, quae in diuturna obſcuritate latuerant, cum aperuiſſet Maraldius, videbatur poſſe cum peritioribus aſtronomis de gloria contendere. Gaudebat vero in iis obſervationibus maxime, quae ad ſatellites Jovis pertinebant, ſocium habuiſſe Jo. Dominicum Maraldium fratris filium, qui magna cum ſpectaret & ad ea rectis ſtudiis contenderet, meruit ſane ut heres ſcriptorum & virtutum patrui in illius locum ſuccederet. Ex quo primum tempore Jacobus Philippus caelum perluſtrare coepit de comparando ſibi novo Fixarum catalogo cogitavit, qui perfectione & copia Bayerianum vinceret; quod quantae utilitatis quantique momenti ſit nemo in aſtronomia vel leviter verſatus ignorat. Fixae enim moderari videntur motus cometarum, ceterorumque planetarum, qui ſubter illas ſunt, quod ad eaſdem referantur. Quamvis Hipparcus ceterique celebriores aſtronomi in hujuſmodi catalogis condendis inſudaverint, fecit tamen

novorum inſtrumentorum inventio atque perfectio, ut veterum hac in re plurimum vinceremus induſtriam, & quae numerari antea facile poterant, pene innumerabiles reperirentur. Sed homini, qui haec curat, patientia prope incredibili opus eſt, cum nunquam liceat ſerena nocte quieſcere. Quare minime eſt mirandum ſi Maraldius, cum opus urgeret, multis coeperit afflictari valetudinis incommodis. Ipſa tamen ſcientia, etſi incommoda datura erat, gaudebat; & cum fama illius laborum ad multos perveniſſet, ſaepe cogebatur reſpondere ad ea, quae de diverſarum ſtellarum poſitione rogabatur: qua in re magno is quidem adjumento fuit Euſtachio Manfredio (*) in ephemeridibus conficiendis, &

(*) Uſus eſt etiam Manfredius obſervationibus & tabulis Maraldii in ſuis aſtronomicis inſtitutionibus, & aliquando cum ad Academicos Inſtituti referret de Jovis & Martis conjunctione helioncentrica, pluribus diſſeruit de ſuſpicione Maraldii, qui obſervationibus comparatis non ita paucis, affirmare videbatur periodicum tempus Jovis, qui planeta eſt inferior, multos ab hinc annos imminutum eſſe, Saturni contra, qui planeta ſuperior eſt, auctum. Quae quidem ſi accidunt, uti Maraldius conjecit, erit cur ſuſpicentur Aſtrono-

Deliſlio & Broukerio in caeleſtibus quibuſdam globis conſtruendis, qui omnes grata memoria illius liberalitatem facilitatemque proſecuti ſunt. Conſulebat etiam iis, qui curioſi erant cometarum inveſtigatores. Nam qui parvi ſunt, quique breviſſimo tempore ſe ſe conſpiciendos offerunt, aegre a ſtellis fixis diſtinguuntur. Sed aſtra, quae ſunt infixa certis locis, adeo in numerato erant Maraldio, adeoque ejus inhaerebant momoriae, ut ſi quid novi prope illa extaret, ſtatim agnoſceret, & diligentiſſime perſequeretur. Ita fiebat ut incola & habitator caeleſtis ab omnibus appellaretur. Sed e ſummis illis caeli ſtelliferi curſibus ad ima terrae loca interdum deſcendebat, ut inſecta contemplaretur, cum haec non minus, quam illa immenſa caeleſtia corpora *Dei gloriam enarrare* diceret. Habes in Pariſienſis Academiae hiſtoria (*) quae de inſecto quodam ſycomori incola obſervavit. Cum deprehendiſſet ad pedem illius arboris

mi, planetas non ſemper mutuo ſe ſe trahere; quod ad torquendos Newtonianos plurimum valere judicabitur.

(*) *Du Hamel Hiſt. Reg. Scient. Acad. lib. V. cap. VI.*

plures lenticulas, quae ſoli objectae ſtatim movebantur, quid rei ferrent videre voluit. Inter duas pelliculas, quae lenticulas ambiunt, erucam invenit colore ſubviridi, ea vero longitudine lineas tres, latitudine unam fere aequabat. Corpus a capite ad caudam duodecim annulis diſtinctum erat. Multus eſſe voluit Maraldius in deſcribendo, quomodo nutriantur vermes hi, unde variae eorum mutationes donec in muſcas abeant quatuor alis & ſex pedibus inſtructas. Nemo enim, quod ſciam, ante ipſum hujuſmodi vermes contemplatus fuerat. Multa alia hujus generis ad hiſtoriam naturalem pertinentia perſecutus eſt, ridens eos qui aſtronomum haec inveſtigantem laureolam in muſtaceo quaerere dictitabant. Quoniam vero inter inſecta dignitate excellere, & principem locum tenere putantur apes, quod harum opere plura efficiantur ad hominum uſum atque vitam, has magna & diligenti contemplatione digniſſimas judicavit. Quamvis enim multa multi tum e veteribus tum e recentioribus de iis ſcripſiſſent, aliena tamen dicta & errata, quam proprias obſervationes referre

maluiſſe videbantur. Triginta & amplius annos ante extiterat vir ſummus Swammerdamius, qui electione earum rerum, quas diu per ſe obſervaverat, magnum opus effecit, ſed, eodem morte extincto, perdiu latuit ejuſdem exemplar, quod cum in Boerhaavii manus tandem perveniſſet, publica luce donatum eſt. Serius tamen id coutigit quam Maraldius ſuas inſtituerit obſervationes, qui ut certius noſceret miras horum inſectorum proprietates atque induſtriam, vitrea alvearia adhibuit. Sive igitur tempus, quo habitae ſunt obſervationes, ſive modum habendi ſpectes, ſummas tribuendas eſſe laudes Maraldio judicaveris, ut certe tribuit vir harum rerum peritiſſimus Reaumurius (*). Diligenter praeſertim inquiſivit in apium ortum craſſis occultatum tenebris atque erroribus, quem habent a Regina foecundata a fucis, quod genus ignavum, exacta aeſtate, ab alvearibus hoſtiliter arcent. Mirum vero quanta cura enitentem Reginam occultent, & qua ſollicitudine vermes ex ea natos foveant. Qua ar-

te

(*) Tom. V. P. I. *Memoires pour ſervir a l' hiſtoire des Inſectes.*

te excudant ceras, & mella ſingant, quae ſint earum officia, ſtudia & mores, quomodo mutuis ſe ſe auxiliis juvent, & quam ſit admirabilis ſabrica membrorum ad opus faciendum, haec & alia praeterea hujuſmodi plura non tam minute quam eleganter a Maraldio exponuntur, quae audientes Academici Virgilianum illud uſurparunt:

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Hiſtoria quidem naturalis immenſos habet campos, in quibus quis excurrere poſſit. Sed contemplatori opus eſt patientia aſſiduitateque incredibili, & oculis & ingenio perſpicaciſſimo, quae cum raro in uno homine copulentur, & cum ſaepe ad contemplandum praejudicatae opiniones afferantur, inde fit ut in ſumma adhuc infinitarum rerum ignoratione verſemur. Id dolens Maraldius optabat quidem de nobiliſſima facultate bene mereri, ſed cum in plura ejus induſtria eſſet diſtracta, & raro ei otium daretur, haud potuit plane ſuo & aliorum deſiderio ſatisfacere. Porro haud mediocris fuit illa occupa-

tio, qua per plures annos implicitus fuit in perficienda meridiana linea, magnum & omnino regium opus moderante Caſſinio, quae a Pariſienſi Obſervatorio ad Pyrenaeos uſque montes in meridiem producta fuit. Hac re an. MDCCI. abſoluta, Italiam & lares ſuos cogitavit; quod ſane iter illi glorioſum & aſtronomiae utiliſſimum fuit. Ubicumque enim reperiebat aſtronomos, tradebat iis artem obſervationum habendarum, & Euſtachius Manfredius, qui tum primum in Marſilianis aedibus uraniae coeperat ſervire, mirabilis utilitatis fructum ſibi tribuiſſe Maraldium ultro profeſſus eſt. Jam in urbem Romam invitatio quam ſuavis, quam liberalis, quam honorifica! Vehementer tum agitabatur Calendarii Gregoriani emendatio, & plurimum tribuere Pontifex videbatur tum Maraldii tum Caſſinii, quem Maraldius ipſe per litteras conſulebat, ſententiis. Sed ex Jeſuitarum voluntate, qui plurimum tum poterant, non ex veritate cauſſa pendebat, quare licet ſummi aſtronomi corrigendum Calendarium cenſuerint, in eo praeſertim quod pertinet ad lunas aſtronomicas & ad tempus aequi-

noctii, (*) infectum tamen adhuc eſt, quod illi faciendum judicarunt. Quod hiſce rebus perfruebatur ac paſcebatur Noriſius Cardinalis, ſaepe cum illo erat Maraldius, & donatus ſatis large a Pontifice fuit, quod ſocius & conſors fuerit glorioſi laboris, quem in meridiana linea ad Diocletiani thermas deſcribenda Franciſcus Blanchinius ſuſtinuit. Omnia volebat Maraldius hominis amiciſſimi cauſſa, & cum iniiſſet ſocietatem obſervationum aſtronomicarum cum ipſo, maximarum auctor, plurimarum etiam magiſter fuit. Gaudio praeſertim viſus eſt exultaſſe, quod Kal. Septembris an. MDCCII. cum eſſet quartus Jovis ſatelles in ſuperiore ſui circuli parte, prope adeo ſui planetae umbram tranſire debebat, ut incertum eſſet utrum in eam ingrederetur. Obſervavit ejus ingreſſum in Jovis penumbram, & ex univerſa hac obſervatione, quamvis unica, inferre ſe poſſe putavit inclinationem illius ſatellitis eſſe 2°. 52'., minorem ſcilicet 3'. quam quod a Caſſinio definita fuerat. Atque haec mediocris differentia plurimum

(*) Vid. quaeſo Baillium *Hiſtoire de l' aſtronomie moderne Tom. 1. p. 38.*

valet ad obſervatorum diligentiam commendandam, declarandamque praeſtantiam methodorum, quibus ii uſi ſunt. Quidquid vero notabat Maraldius cum enucleate ad Caſſinium ipſum ſcriberet, ſignificavit ei aliquando animos ſe addidiſſe Blanchinio, ut Montanarii aſtronomica ſcripta, quae in manus illius pervenerunt, publicam in lucem emitteret, ſibique inquirenti num vere a Montanario pronuntiatum ſtellam quartae, ut dicunt, magnitudinis extare modo in hydrae cauda, modo evaneſcere, nihil hujuſmodi occurriſſe. Sed quod fruſtra diu quaeſivit, apparuit tandem ineunte Martio an. MDCCIV. triginta ſcilicet & duo poſt annos, quam animadverſa eadem illa ſideris deceſſio a Montanario fuerat. Vidit etiam Romae Maraldius longe lateque collucentem ignem ejus ſimillimum, quem Bononiae Caſſinius anno MDCLXVIII. obſervaverat; & mirari licet quot alia a peregrinatore fuerint animadverſa, de quibus mentionem fecit Blanchinius in ſuis obſervationibus aſtronomicis. Redux vero an. MDCCIII. in Galliam magnam copiam rerum naturalium a ſe Veronae prae-

ſertim collectarum Academiae dono dedit, probavitque omnibus, cum diceret aut de huiuſmodi rebus, aut de barometricis a ſe aliiſque habitis obſervationibus, aut de plantarum cultu, aut de dimenſione aquarum, quae quotannis e caelo pluunt (*), aut de meteoris variis, aut de terrae motibus, qui Appulos & Bruttios afflixerunt, quantum phyſica doctrina abundaret. Pro eo vero quod ſe non ſuis ſolum ſtudiis, ſed etiam ſuorum Gallorum commodis natum arbitrabatur, onus libenter ſuſcepit adjuvandi eos, qui in geographicis Galliae chartis conficiendis elaborabant; & anno MDCCXVIII. iter cum tribus aliis Academicis ingreſſus eſt abſolvendi cauſſa magnam meridianam lineam iis in regni regionibus, quae ſeptentriones ſpectant. Adhuc ſupereſſent multa, quae poſſem narrare, & copioſa abundat rerum va-

(*) Putabat Maraldius tantum aquae e caelo decidere annis ſingulis, ſive ea in nivem adſtricta ſit, ſive ſoluta, ut ſi aequabiliter ſuper terram univerſam extendatur, altitudinem obtineat unciarum octodecim Pariſienſium. Bononiae Beccarius aquam invenit duplam.

rietas; quae tanto juſtius debent commendari, quod nihil unquam oſcitanter, nihil non ſtudioſiſſime egerit Maraldius. Sed modus adhibendus eſt, quod nimium ſaepe offendat, & quod ex indice earum rerum, quas ipſe cum Academia communicavit, intelligi poterit quam multa, quantique momenti conatus ſit, quantaque perfecerit. Reſtat ut videamus animi virtutes, quae quo ſunt excelſiores, eo dant optimae clariora indicia naturae. Nemo illo diligentior fuit in tribuendo Deo ac Superis cultu; & ſi pietati etiam, qua propinquitas colitur, ſummam, ut par eſt, impertiri debemus laudem, perpauci ſane hac virtute ſe exaequare cum Maraldio poterunt. Vigilabat, excubabat quotidie pro ſalute avunculi ſui, ſolabatur aegrum & caecum, diligebat, venerabatur magis quam parentem; & cum nullum eſſet officium pii & amantiſſimi hominis, quod in illum non conferret, dijudicari minime poterat uter utri virtute eſſet anteferendus. Quot lacrimis ejus obitum deflevit, & quam grate illius beneficia recordabatur! Nihil erat in eo niſi ſimplex, ſincerum, caſtum & grave;

non ſuperbiebat praeſtantia doctrinae, & nihil magis optabat quam in proximum quemque conferre, quae ſibi immenſo labore comparaverat. Itaque nemo unquam deſideravit congreſſus illius, facilitatem ſermonis, & obſervationum aſtronomicarum commercia. Si quis quidquam in ſe peccaſſet, malebat obliviſci quam ulciſci; & cum a contentionibus eſſet alieniſſimus, ſibi contradici haud aegre ferebat. Sed raro contradictores inveniebat, cum eſſet perſpicacia & diligentia incredibili, eaque eſſet opinio de eo, nihil ſolere ipſum in lucem afferre, quod antea ad certam rationis atque experientiae normam minime direxiſſet. Sobrietate videbatur alere induſtriam valetudinemque, ſed ipſa induſtria minuit ei vitae curſum. Nam cum in quadrante, ut vocant, murali collocando in ſummo ſpeculae faſtigio ad perficiendum fixarum catalogum eſſet occupatus, incidit in febrim, ex qua mortem obivit Kal. Decembris an. MDCCXXIX. Talis fuit vir, qui quamvis Galliae ſuam ſe debere doctrinam diceret, Italum tamen ſe ſemper eſſe voluit, & eſſe ſemper gloriatus eſt.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

Antequam Pariſina Scientiarum Academia a Lud. XIV. inſtauraretur, quod accidit an. MDCXCIX. non omnia, in quibus elaborabant Academici, publica luce donabantur. Narratur quidem ante illud tempus plura ſcripſiſſe Maraldium, & mentio praeſertim ſit horum ſcriptorum, ceteris praetermiſſis, quae ad Aſtronomiam minime pertinebant.

Corrections des Epoques du mouvement des Satellites de Jupiter.

Recherches & obſervations ſur les changemens de la grandeur apparente des Etoiles.

Obſervations ſur une Etoile fixe changeante de la Conſtellation du Cygne.

Obſervations des Taches ſur le Soleil en Mai.

Hactenus de aſtronomicis ſcriptis Maraldii, quae quidem cum Academia communicavit ante annum MDCLXXXXIX. Cetera, quae ſequuntur, in ejuſdem Academiae commentariis ſic deſcripta reperiuntur.

Comparaiſon des Obſervations de la Comète de 1699. faites à la Chine par le Révérend Père *Fontenay*, raportées à l' Académie par le Révérend Pète *Gouye*, le 12. Mars 1701., avec celles qui en furent faites à l' Obſervatoire Royal de Paris. Mem. 1701.

Deſcription des quatre Etoiles proche du Cercle Polaire, avec les quelles on commenca de voir la Comète de 1699., à Paris. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 22. Fèvrier 1701. à Collioure. *ibid.*

Taches dans le Soleil obſervées à Montpellier le 29. Mars 1701. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe du Soleil du 23. Septembre 1699., faite à Paris. *ibid.*

Obſervation d' un Nouveau Phénoméne, faite à Rome, le 2. Mars 1702. avec les Réfléxions de Mr. *Caſſini* ſur cette Obſervation. M. 1702.

Expériences du Barométre faites ſur diverſes Montagnes de la France M. 1703.

Obſervation de deux taches dans le Soleil, en Janvier 1704 M. 1704.

Suite des Obſervations des Taches du Soleil en Janvier 1704. *ibid.*

Retour des Taches obſervées dans le Soleil au commencement de Janvier 1704. *ibid.*

Obſervation d' une nouvelle Tache dans le Soleil, au mois de Mars 1704. *ibid.*

Comparaiſon des Obſervations de Mr. *Manfrédi* avec celles de Paris. *ibid.*

Extrait d' une Lettre de Mr. *Manfrédi* ſur une Eclipſe de Venus par la Lune, obſervée à Bologne le 30. Juin 1704. *ibid.*

Raport de l' Obſervation de l' Eclipſe de Lune faite à Bologne, le 17. Juin 1704. Par Mrs. *Manfrédi & Stancari. ibid.*

Occultation de Jupiter par la Lune obſervée en plein jour le 27 Juillet 1704. *ibid.*

Conjonction de Jupiter avec la Lune, obſervée le 24. Aout 1704. *ibid.*

Conſidérations ſur la Théorie de Planétes. *ibid.*

Les Hypothèſes du mouvement de Saturne. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 10. Decembre 1704. *ibid.*

Comparaiſon des Obſervations du Baromètre, faite par le Révérend Père *Sebaſtien Truchet* avec les nôtres. M. 1705.

Obſervations du Baromètre & du Thermomètre, faites en différentes Villes pendant l' année. 1705. M. 1706.

Les Hypothèſes du mouvement de Iupiter. *ibid.*

Les Hypothèſes du mouvement de Mars. *ibid.*

Obſervation d' une Comète, qui a commencé de paroitre au mois de Mars. *ibid.*

Découverte d' une nouvelle Etoile (*de l' Hydre*), qui paroit & qui diſparoit en divers tems. *ibid.*

Obſervations de la Comète, faites depuis le 18. Mars qu' on a commencé de la voir, juſqu' au 16. Avril qu' elle a ceſſé de paroitre. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 28. Avril 1706. faite à l' Obſervatoire Royal. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe du Soleil faite le 12. Mai 1706. à l' Obſervatoire. *ibid.*

Obſervations de l' Eclipſe de Lune, du 21. Octobre 1706. faites à Marſeille & à Bologne. *ibid.*

Conſidèrations ſur la ſeconde inégalité du mouvement des Satellites de Jupiter, & ſur l' Hypothèſe du mouvement ſucceſſif de la Lumière. M. 1707.

Observation de l' Eclipſe de Lune, faite à l' Obſervatoire Royal, le 17. Avril au matin, de l' année 1707. *ibid.*

De la dernière conjonction Ecliptique de Mercure avec le Soleil. *ibid.*

Obſervations de quelques Taches conſiderables dans les Satellites de Jupiter. *ibid.*

Obſervation du Paſsàge de la Planète de Mars par l' Etoile Nebuleuſe de l' Ecreviſſe, faite le mois de Juin de l' année 1707. M. 1707.

Obſervation de l' Eclipſe de Lune (*du* 17. *Avril* 1707), faite à Zuric. Par Mrs. *Scheuchzer*, & comparée à la méme Eclipſe faite a Rome. *ibid.*

Obſervation d' une Comète. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Venus par la Lune; du 23. Février 1708. M. 1708.

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 5. Avril au matin, de l' année 1708. *ibid.*

Obſervations du retour de la Tache ancienne de Jupiter. *ibid.*

Obſervation du paſſage de la Lune par les Etoiles méridionales des Pleiades, le matin du 10. Auot 1708. *ibid.*

Réfléxions ſur la ſuite des Obſervations de la Comète de Novembre 1707. faite à Bologne Par Mrs. *Manfrèdi* & *Stancari*. *ibid.*

Obſervations de l' Eclipſe de Soleil, du 14. Septembre 1708. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 29. Septembre 1708. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 29 Septembre 1708. faite à Gènes par Mrs le Marquis *Salvago* & l' Abbé *Barrabini*, & à Marſeille par le Père *Laval* & Mr. *de Chazelles*. *ibid.*

Comparaiſon des Obſervations du Baromètre faites

à Paris & à Zuric, pendant les ſix prèmiers mois de l' année. 1708. & les ſix derniers mois de la méme annéa. M. 1709.

Obſervation du retour de l' Etoile changeante de l' Hydre. M. 1709.

Comparaiſon des Obſervations du Baromètre faites en différens lieux. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 13. Fevrier au ſoir, de l' an 1710. M. 1710.

Obſervation de l' Eclipſe du Soleil, du 28. Février 1710. *ibid.*

Comparaiſon des Obſervations de l' Eclipſe de Lune, du 13. Février 1710., faites en différens lieux. *ibid.*

Diverſes Obſervations de la conjonction de la Lune avec les Pleiades. *ibid.*

Obſervation du paſſage de Jupiter proche de l' Etoile qui eſt dans le Front du Scorpion, comparée avec une ſemblable Obſervation faite en 1627. *ibid.*

Nouvelles Expérienees ſur la dilatation de l' Air faite par Mr. *Scheuchzer* ſur les Montagnes de Suiſſe, avec des Réfléxions. M. 1711.

Obſervation de l' Eclipſe de Soleil, qui eſt arrivée le 15 Juillet 1711. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune qui eſt arrivèe le 29. Juillet 1711. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe Horizontale de Lune faites en diffèrentes Villes, & raportées. *ibid.*

Recherche de la Parallaxe de la Lune dans ſes conjonctions avec les Etoiles des Pleiades. *ibid.*

Obſervations de l' Eclipſe de Lune, du 23. Janvier 1712. M. 1712.

L' Inclinaiſon du quatrieme Satellite à l' égard de l' Orbite de Jupiter, vérifiée par une Obſervation rare. *ibid.*

Obſervations ſur les Abeilles. *ibid.*

Du Retour de l' Etoile changeante qui eſt dans la Conſtellation du Cygne. M. 1713.

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 2. Decembre 1713., faite à l' Obſervatoire Royal. *ibid.*

Retour de la Tache ancienne de Jupiter, avec l' Obſervation d' une grande Tache dans le quatrième Satellite. M. 1714.

Obſervations pour déterminer la différence des Méridiens entre Paris & Leyde, & entre Paris & Upſal. *ibid.*

Obſervations ſur la Phaſe ronde de Saturne. M. 1715.

Réfléxions ſur l' Eclipſe du Soleil, du 3. Mai 1715. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe du Soleil, du 3. Mai 1715. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Venus par la Lune, faite en plein jour le 23. Juin 1715. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Jupiter par la Lune, faite le matin, du 25. Juillet 1712. *ibid.*

Obſervation d' une Lumière Septentrionale. M. 1716.

Obſervations de l' Eclipſe de Jupiter par la Lune, faites le quatrième jour de Janvier 1716. *ibid.*

Suite des Obſervations ſur l' Anneau de Saturne. *ibid.*

Observations d' une Lumière Horizontale. M. 1717.

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, faite le 29. Septembre 1717. *ibid.*

Digitized by Google

Obſervation de l' Eclipſe d' Aldebaram par la Lune, faite le 25. Septembre 1717. *ibid.*

Obſervation d' une Lumière Septentrionale. M. 1718.

Obſervation de l' Eclipſe de Soleil, du 2. Mars 1718. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 9. Septembre 1718. *ibid.*

Obſervations de la Lumière Septentrionale. *ibid.*

Obſervations du paſſage de Jupiter proche de l' Etoile appellée *Propus. ibid.*

Obſervations ſur l' Etoile changeante de la Baleine. M. 1719.

Comparaiſon de quelques Obſervations de Mr. *le Chevalier de Louville*, avec celles qui ont été faites à l' Obſervatoire Royal. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, du 29. Aout 1719. *ibid.*

Obſervation ſur la quantité de Pluie, ſur le Thermomètre, & ſur le Baromètre pendant l' Année 1719. M. 1720.

Obſervation d' une Aurore Boréale. *ibid.*

Obſervations ſur les Taches de Mars. *ibid.*

Obſervations Météorologiques de l' année 1720. M. 1721.

Obſervation de l' Eclipſe de Soleil, du 24. Juillet 1721. Par Mrs. *Caſſini & Maraldi. ibid.*

Obſervations de deux Météores. *ibid.*

Obſervations ſur différens Météores de l' année 1721. M. 1722.

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, faite le 28. Juin après minuit 1722. *ibid.*

De la Parallaxe de Mars. M. 1722.

Obſervations de l' Eclipſe de Soleil, du 8. Décembre 1722. faite en préſence du Roi. Par Mrs. *Caſſini & Maraldi. ibid.*

Détermination Géographique de l' Isle de Corſe. *ibid.*

Obſervations Météorologiques faites en 1722. M. 1723.

Diverſes Expériences d' Optique. *ibid.*

Obſervations & Réfléxions ſur la Comète qui a paru au mois d' Octobre 1723. *ibid.*

Obſervation de Mercure ſur le Diſque apparent du Soleil. *ibid.*

Obſervations Météorologiques de l' année 1723. M. 1724.

Obſervation de l' Eclipſe de Soleil, du 22. Mai 1724. faite en préſence du Roi à Trianon. *ibid.*

Obſervation de la Comète qui a paru en l' année 1723. *ibid.*

Obſervation de l' Eclipſe de Lune, faite le matin du prémier Novembre 1724. *ibid.*

Obſervations Météorologiques faites en 1724. M. 1726.

Obſervations Météorologiques de l' année 1725. M. 1726.

Obſervations faites à Pequin, & comparées avec celles qui ont été faites à Paris. *ibid.*

Obſervations Météorologiques de l' an 1726. *ibid.*

Explication des Tables du prémier Satellite de Jupiter

Digitized by Google

piter, avec des Réfléxions ſur le mouvement de ce Satellite. M. 1727.

Obſervation Météorologiques de l'année 1727. M. 1727.

Obſervations Météorologiques pendant l'année 1728. M. 1728.

Obſervation de l'Eclipſe totale de Lune du 13. Février 1729. M. 1729.

De l'Inclinaiſon de l'Orbe de Jupiter. *ibid.*

Obſervations Météorologiques pendant l'année 1729. *ibid.*

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO DANIELO

NEAPOLITANI REGIS HISTORIOGRAPHO

S. P. D.

G*Ratulor patriae tuae, quod nullum ſit genus litterarum, quod apud vos non ſtudioſiſſime excolatur, gratulor Mazochio, qui exemplo, monitis praeceptiſque effecit, ut etiam ſtudium litterarum Hebraicarum tantum vigeret, quantum vix alibi; & ſane quae a Matthaejo veſtro de Pſalmis habuimus, oſtendunt quam multa ſint adhuc in iiſdem litteris recondita, quam curioſa, quam utilia, quae lucem ſcriptoris deſiderant. Mirari ſe ajebat Mazochius ipſe, quid eſſet cur multi Homeri, Pindari, Horatii ſcriptis celebrandis, omnique laude cumulandis toties immorarentur, Moſem interea, Davidem, Iſaiam ſilentio praeterirent; quapropter totum ſe convertit ad poeſin Hebraeorum illuſtrandam, qua de re praeclare inchoata mul-*

ta reliquit, abſoluta non plane. Tria omnino ſunt, quae in omni perfecta poeſi conſiderare ſolemus, rem ipſam, ejuſque tractandae modum, diſpoſitionem, ordinem & pro vario poematis genere totius formam; deinde elocutionem atque ſtilum; poſtremo carminis ſuavitatem, numeroſque non ſolum ad aures oblectandas, ſed etiam ad res ipſas exprimendas, omnemque animi motum concitandum idoneos. Non me latet diſputari ab eruditis, num Hebraeorum poeſis numeris & modis fuerit adſtricta, & cum multae hinc atque hinc afferantur conjecturae, ſuſpicari quidem poſſumus ipſos noviſſe rhythmos artemque numerorum, ſed nullum ex eorum ſermone eruere poſſumus argumentum, qui ſuis vocalibus deſtitutus per annos ſupra bis mille mutus omnino, &, ut ita dicam, elinguis jacere videtur. Quanquam Graeca & Latina lingua ita nunc efferantur, vix ut retineant priſtinae ſuavitatis; ſonuſque pronunciandi, quem adhibemus, ingratiſſimus futurus fuiſſet & omnino barbarus Atticis & Romanis auribus, ſui tamen manent iis numeri ſuique pedes, quos fruſtra in Hebraica lingua quaeſieris. Itaque qui metricam illam fuiſſe contendunt, &

hanc inſtaurare conantur, aedificium extruere videntur, cui fundamentum, in quo nitatur, plane deeſt. Hoc proprium fuiſſe Hebraeorum poetarum exiſtimatur, ut poemata in periodos plerumque aequales diſtribuerent; periodos vero ipſas in ſuos verſiculos, ſaepiſſime binos, interdum etiam plures; quod cum maxime appareat iis in locis, ubi rem unam, ut ſolebant, multis modis verſant, & in eadem commorantur ſententia; ubi eamdem rem diverſis verbis exprimunt, aut diverſa eadem forma verborum comprehendunt; & cum paria paribus referuntur, adverſis opponuntur contraria, ex hoc conjici poteſt aliquam numerorum rationem ipſos habuiſſe, curaviſſeque ut apte & numeroſe caderet oratio. Sed non tam elegantiae quam neceſſitati hoc multi tribuunt: niſi enim ſententias in verſiculorum ſpatia diſtribuiſſent, nulla amplius fuiſſet diſtinctio carminum, & omnia implicata & permixta viderentur, cujus rei declinandae cauſſa inventa quoque fuiſſe putantur carmina in alphabeti modum diſtributa. Verum id, in quo praeter ceteros excellere optabant Habraei vates, erat orationis genus ſententiarum, figurarumque luminibus diſtinctum & o-

mni rerum & verborum magnificentia ornatum? Si quando accidit ut breviter & ſimpliciter loqui incipiant, accerſunt ſtatim ornamenta, iterant, variant, augent, nihil omittunt quod ad exaggerandam illuminandamque orationem & ad impellendos ſenſus valeat. Commoratio in una re, augendi minuendique cauſſa veritatis ſuperlatio atque trajectio, ſimilitudo, conformatio, exemplum, iracundia, objurgatio, promiſſio, deprecatio, laeſio, optatio, execratio, digreſſio, interrogatio, admiratio, & horum ſimilia frequenter ab iis adhibentur, quod habeant vim, & mirabiliter illuſtrent orationem. Quanta vero translationum copia! Ubique fere exſtat atque dominatur perpetua quaedam ac ſibi inſtans metaphora, ſaepe audacter illata, ſaepe etiam cum periculo irruens, & quae licentius occupavit, iis immoderate nonnunquam & inſolenter utitur. Eſt vero quod miremur tantam copiam libertatemque translationum minime officere orationis perſpicuitati, niſi ſumptae ſint ex rebus, quas vetuſtas oblivione obruit, cujus rei in cantico praeſertim Salamonis multa videntur eſſe exempla. Ceterum ex rebus plerumque naturalibus ſuas depromebant metaphoras He-

braci, & quae apud Latinos liberiores & pene inverecundae eſſe videntur, illorum judicio remiſſiores & languidae habitae forent. Id intelligi ab iis poterit, qui loca quadeam Iſaiae (*) cum Horatianis illis carminibus conferent.

Lucem redde tuae, Dux bone, patriae,
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

Erant & alii fontes uberrimi, ex quibus ſuas derivare ſolebant translationes Hebraei vates, ex moribus puta, & civilis vitae conſuetudine, ex artibus, iis praeſertim, quae ad colendas terras curandumque pecus, quae omnium nobiliſſimae ab iis putabantur, ſunt inventae; ex patriis religionibus ac caeremoniis, ex ſacra hiſtoria, quae omnia tam variam lautamque ſupellectilem imaginum atque ornamentorum ſuppeditabant, ut iis, qui his aures aſſuefecerint, cetera vileſcere videantur. Idem ille Homerus quando in hujuſmodi translationibus eminere

(*) Is. XXX. 26. LX. 19. 20.

voluit, ut cum Achillem ſuum effert (*), *aliquid ſumpſiſſe putatur ab Hebraeis; & quanquam non tam magnifice & ample dicta ſua exornaverit, fortaſſe quia tantam audaciam libertatemque minime Graecae linguae Graeciſque moribus congruere judicavit, ſatis tamen exemplo ſuo oſtendit eorum magniloquentiam imitatione dignam eſſe. Etſi nolim ſcriptorem efferri immoderatione verborum & figurarum, nihilo minus optarim multa ab illo colorari & animari, quam in rem mirabilis utilitatis fructum praebere eidem poterit veterum Hebraeorum ac praeſertim Prophetarum lectio. Erant quidem Prophetae a Deo ipſo & electi, & ad obeundum munus ſuum abunde inſtructi; praeparabantur tamen quodammodo ad concipiendam divinam ſapientiam in Collegiis ad id inſtitutis, quibus praeerat, tanquam moderator & praeceptor, vates aliquis ſumma auctoritate atque doctrina. Hinc ad prophetiae munus exequendum ii praecipue evocabantur, qui in ſacra poeſi diu & multum fuerant exercitati, cum unum idemque officium eſſet & edere oracula, & carmina,*

(*) Iliad. V. 449. & XIII. 588.

ſeu hymnos in uſum Eccleſiae condere. Quare minime eſt mirandum, ſi magna pars ſacrorum hymnorum vera ſint vaticinia, inſigniora vero vaticinia praebeant exempla ſublimioris poeſeos. Quid porro magnificentius Capitibus Iſaiae IV. & V. ſupra tricesſimum, & quadrageſimo, quid limatius & exquiſitius omnique ornamentorum copia magis affluens Balaami ceteriſque hujuſmodi vaticiniis? Inveniuntur etiam in Prophetarum ſcriptis diverſi generis poemata, veluti idyllia, elegiae atque odae, & quae ad lyricam pertinent praeter cetera excellere jure ac merito judicantur. Horum argumenta non erant fictae res, ſed ſummi Dei bonitas ac magnitudo, non hominum geſta, sed laudes divinorum beneficiorum, non amantium querelae ac deliria, ſed preces, ſuſpiria, vota populi miſeriarum deprecatoris; & cum oſtenderetur quid factum fuerit, cum portenta ac miracula narrarentur, cum omnis antiquitatis memoria explicaretur, cum juxta ſe ponerentur Divini Numinis beneficia hominumque malefacta, mira inde exurgebat ornamentorum copia, quae non in alienum irruiſſe, ſed in ſuum immigraſſe locum videbantur. Non opus erat Hebraicis poetis multa varietate a-

bundantibus longius digredi a propoſito, quodque non haberent tam magnum campum Graeci poetae, & digreſſiones amabant, & multa extrinſecus quaerebant aſſumebantque. Nonne aegre Pindaro ignoſcimus, qui celebraturus Hieronem gravi & diuturno morbo laborantem, & vota facturus Aeſculapio ad opem aegroto arte medica ferendam verſus plus centum, & totius carminis dimidiam omnino partem inſumpſit in univerſa Aeſculapii hiſtoria perſequenda? Non ſimilia quidem in Hebraicis odis inveneris, quamvis eae ſint laetae, ſolutae, liberae, in elatiore argumento exultantes etiam, audaces, nonnunquam prope effrenae. Si quando paullulum aberravit vates, redit brevi ad rem, idque de oda Hebraea ſtatui poſſe videtur, ex ipſa rerum, in quibus versatur, natura tam faciles habere aditus ad pulcherrimos ornamentorum locos, tot opportunitates egreſſionum, ut in ſumma rerum varietate & liberrimis excurſionibus plerumque ei mirifice conſtet continuationis atque ordinis ratio. Vereor ne ineptus judicer, ſi hoc loco plura de poeſi Hebraeorum dixerim. Pauca tamen quae attuli non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod tibi videbuntur, cum

dicturus ſim de ſtudiis Alexii Symmachi Mazochii, qui vir erat egregius in Hebraicis litteris, quique effuſius favere Hebraicis poetis judicabatur. Haec enim aetas vitiorum foecunda magnam copiam ſemidoctorum effudit, qui turpiter vituperare non dubitant quidquid antiquitatem olet, omneſque eos qui in illa exploranda illuſtrandaque elaborant. Horum voces tu quidem, eruditiſſime Danieli, contemnes, ut certe contemnebat Mazochius tuus; & poſtquam illuſtraſti multa, quae ad Romanorum hiſtoriam pertinent, perficies quae jamdiu habes in manibus de Friderici II. Caeſaris vita & legibus, ex quibus magnas tibi & nominis & fortunae acceſſiones fore confido. Vale.

Piſis XV. Kal. Majas. MDCCLXXXI.

Alexius Symmachus Mazochius.

ERunt quidem ſemper poſteris clarae & inſignes virtus & doctrina Alexii Symmachi Mazochii non tam propter earum amplitudinem, quam propter elegantiam ſcriptorum (*), qui hominis ſummi praeclara geſta hiſtoriae monumentis conſignarunt. Facturus ne operae pretium ſim, ſi eaſdem res ego quoque perſcripſerim, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim. Video quidem cum veterem tum vulgatam eſſe conſuetudinem, ut novi ſemper exoriantur ſcriptores, qui aut in rebus certius aliquid ſe allaturos, aut ſcribendi arte ceteros ſe ſuperaturos confidant. Utcumque erit, juvabit tamen pro virili parte & me ipſum conſuluiſſe famae viri amiciſſimi, qui mihi quidem, quamvis e vivis ſublatus, vivit tamen ſemperque vivet. Virtutem enim ſemper amavi illius, quae extincta non eſt; nec mihi ſolum ver-

(*) Nicolaus Ignarra, Franciſcus Seraus & Pariſienſis Academiae, quae dicitur Inſcriptionum & Humaniorum Litterarum, Secretarius. Vid. Vol. XXXVIII.

Digitized by Google

ſatur ante oculos, ſed omnibus civibus ſuis ſic viget, ut nemo ferme animo aut ſpe magnum aliquid ſuſcipiat, quin ſibi illius memoriam atque imaginem proponendam putet. Sed ad propoſitum veniamus. Natus ille eſt XI. Kal. Novembris (*) anno MDCLXXXIV. in pago florentiſſimo S. Mariae, quo in pago ſita fuit vetus Capua, & qui a nova duo ferme millia paſſuum diſtat. Pater ejus fuit Laurentius Mazzocculus, quod co-

(*) Secuti ſumus auctoritatem ipſius Mazochii, qui non uno in loco operum ſuorum teſtatur ſe in lucem hominum editum die Symmacho Epiſcopo Capuae ſacro, hoc eſt 22. Octob. (*Vid. Kal. Neap.* 22. *Octob.*) Ceterum in libris, in quibus notata ſunt nomina eorum, qui baptizati fuerunt in Eccleſia, ut vocant, Collegiata S. Mariae de Capua, haec ſcripta reperiuntur. *Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo quarto die vigeſima ſecunda Octobris: Ego D. Joannes Jenco Curatus baptizavi infantem pridie natum ex Laurentio Mazzoccolo & Margarita Battaglia conjugibus hujus Parochiae, cui impoſitum eſt nomen Alexius Symmachus. Matrina fuit Victoria Indolfo &c.* Fortaſſe Mazochius numeravit natalem diem ſuum a die, quo luſtralibus aquis ablutus eſt, niſi dicere velimus media ferme nocte pridie illius diei ipſum in lucem editum fuiſſe.

gnomen Alexius in Mazochium commutavit, ut Latinitati & gloriolae ſerviret. Ineunte enim ſaec. XVI. floruerat Romae arte typographica hoc ipſo cognomento Jacobus. Matrem habuit Margaritam Battaliam, quae poſtquam feliciter tres ſupra viginti liberos peperiſſet, ob Alexium editum occubuit. De qua ſane numeroſa familia ipſe jocans dicere ſolebat, propoſitum fuiſſe patri in uxore ducenda, ut redderet regno quos paullo ante dira peſtis abſumpſerat. Quoniam nihil eſt in homine bona & ſagaci mente melius, dolebant multi ea tardi ingenii ſigna in Alexio apparere, ut deſerendum illum cenſerent. Sed cum taederet ipſum perverſae inſtitutionis, in quam inciderat, neque mentem poſſet accommodare puerilibus illorum temporum ineptiis, facile erat praeceptorum inſcitiam vitio adoleſcentis tribuere. Sed tamen interdum dum in Seminario Campano alumnus verſaretur, nonnullos jaciebat quaſi igniculos ingenii, qui cum minime effugerent perſpicaciam Buccardi Canonici, qui erat moderatorum unus, perſuaſit hic pa-

tri, ut Alexium Neapolim inſtituendum mitteret. Hic tum forte erat Carolus fratrum natu maximus, & meliore ſane fortuna excultus, quippe qui prudens adeo erat Graecae Linguae, ut ferme univerſas Joannis Chryſoſtomi homilias memoria teneret. Ab hoc igitur hujus ipſius linguae initia, quae Graece elementa appellari ſolent, Alexius accepit, & cum aditus quidam ſibi patefactus fuiſſet ad Ciceronis cognitionem, ſenſit tum quidem ſe nil niſi de faece antea hauſiſſe, & perverſae inſtitutionis vitia continua aurei illius ſcriptoris lectione ſibi eſſe corrigenda. Brevi quidem ſic calluit Latinam linguam, ut diligentiſſimos condiſcipulorum poſſet in certamen vocare cum certa ſpe victoriae, & quae praeceptor Italice dictaret, Latine ſcribere ſine mendo. Effecit etiam diligentia & contentione omnino ſingulari, ut idem quoque poſſet in Graeca lingua, ſic ut quae de ſcripto Latine traderentur vel a philoſophiae vel a theologiae magiſtris, ipſe ex tempore Graecum in ſermonem converteret. Quod ſi Budaeo aliiſque perpaucis exercitatiſſimis viris laudi datum eſt, quod *de Graeco libro quae*

ſcripta ſunt, legerent Latine, de Latino Graece (*), magis etiam ſuſpicere debemus Mazochium, qui, nondum ſtudiorum exacto curriculo, id ipſum poſſet vel in iis rebus, quae difficili in cognitione verſantur. Qua re vulgata, nihil non egit Archiepiſcopus Campanus, ut redderetur Seminario ſuo alumnus, qui vel in nobiliſſimo theatro admirationem maximam moverat. Sed propoſitum erat patri adoleſcentulum minime abſtrahere a reconditiorum diſciplinarum curſu. Itaque poſtquam philoſophiae & theologiae is ſatisfeciſſet, audivit Nicolaum Parthenium Jannettaſium Jeſuitam, qui in Maximo, ut vocabant, Collegio mathematicas diſciplinas tradebat. Sed cum hic ad laudem magis poetae (& ſane Latinas muſas aequas experiebatur) quam mathematici aſpiraret, neceſſe fuit Mazochio induſtria ſua praeceptoris inſcitiam corrigere. Inter haec patrem amiſit, qui tantum ei amoris & prudentiae deſiderium reliquit, ut vel senex dictorum & praeceptorum illius memoriam ſaepe repeteret. Cum

(*) Vives Comment. in S. Aug. de Civit. Dei l. 1. c. 17.

vero Alexio omnia eſſent ſolutiſſima, poteſtate vivendi ut vellet, qua ſaepiſſime incauti adoleſcentes abutuntur, ita ipſe uſus eſt, ut perraro domo exiret ſeque totum in litteras abderet. Omnia fere quae ſunt concluſa theologicis ſtudiis (nam Eccleſiae ſe pridem devoverat) hiſtoriarum cognitio, poetarum pertractatio, linguarum & monumentorum antiquitatis interpretatio, & in ratione dicendi excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, quae pleriſque ignota, & diffuſa late videbantur, erant exercitationes ingenii & curricula mentis Mazochii, qui in hoc ſolum ſibi peccaſſe viſus eſt, quod tum ad nullius ductum, quanquam plures eſſent Neapoli doctrinae gloria florentiſſimi viri, ſe applicaverit. Unus omnino, ad quem ſacerdos jam factus itare ſolebat, erat Carolus Majellus, de quo ajebat, ex omnibus rebus, quas ſibi aut fortuna aut natura tribuit, ſe nihil habuiſſe quod cum amicitia Majelli comparari poſſet, nullamque unquam rem extitiſſe, quae plus apud ſe polleret quam ipſius voluntas atque judicium. Itaque Eidem diſcedenti Neapoli, ut Clementi XI.

Digitized by Google

Pontifici Maximo ab epiſtolis eſſet, libentiſſime ſucceſſit Alexius in munere ſtudiorum Praefecti, quod in Neapolitano Seminario magna cum gloria diu ſuſtinuerat. Non eſt credibile quanta cura, quantiſque vigiliis rem Seminarii geſſerit Mazochius, cum ei eſſet perſuaſiſſimum fructum ingenii & virtutis omniſque praeſtantiae tum maxime capi, cum in proximum quemque confertur. Quotidie ſcholas obibat, cunctis aderat, cognoſcebat, animadvertebat, & quo quemque natura tuliſſet ſapientiſſimis conſiliis ipſe ducebat. Litteras etiam Graecas Hebraicaſque tradebat, ſatagebatque, ut non linguae ſolum, verum etiam animi & virtutis magiſter eſſet. Quod non in ſententia ſolum, ſed etiam in nutu reſidere ejus auctoritas videbatur, rari erant qui non gauderent officio, & qui recta non ſequerentur: mira vero is erat arte in avertendo languore; & nemo ignorat facilius eſſe currentem, ut ajunt, incitare, quam commovere languentem. Hujuſmodi muneri ipſe eouſque praefuit, dum aetas vergeret ad ſenectutem; depoſitum vero iterum ſuſcipere coactus eſt,

quod

quod maxime doleret, qui Neapolitanae Eccleſiae clavum tenebat Spinellius Cardinalis, abſente Mazochio, apparere in animis adoleſcentium molle quiddam, demiſſum, humile, enervatum quodammodo & languidum. Adeo quidem rem Alexius reſtituit, ut vel ipſae deambulationes, ceteraque hujuſmodi oblectamenta non ſine libris atque ſtilo eſſent. Quae priuſquam acciderent, incredibili contentione & prece Nicolai Caraccioli Archiepiſcopi Campanorum invitatur, ut ad ſuos redeat; eodemque tempore Campanus Canonicus creatur. Sed haec nihil movebant hominem ab honoribus alieniſſimum, nec prece, nec pretio, nec gratia ulla a ſuo Neapolitano Seminario abſtrahi poſſe videbatur. Fregit tandem juvenis propoſitum Caroccioli auctoritas ac plane imperium, convenitque inter eos de partienda opera inter Seminarium Neapolitanum & Campanum, ſic ut quatenus Canonici munus exigeret, ipſe Capuae conſiſteret, reliquo vero tempore ſuis Neapolitanis conſuleret. Quod promiſerat ſtudioſe perfecit, etſi auctus a Romano Pontifice novo Canonicatu paullo poſt

fuerit, qui, quod onus habeat publice ſacras litteras exponendi, *theologalis* appellari ſolet. Tum quidem litterarum humaniorum praeceptor eſſe deſiit, ut plane ſatisfaceret iis convictoribus, qui cognitionem ſcientiamque ſacrorum librorum requirebant. Interea Epiſcopus Averſanus paullulum invidens vicinis ſuis, quod Seminaria florentiſſima haberent Mazochii opera, hunc vehementiſſime rogavit, ut in illis ſuis continuis itibus & reditibus paullulum ea in urbe ſubſideret ſuis quoque Clericis conſulturus. Non diutius ſe rogari eſt paſſus vir humaniſſimus, cui nihil erat antiquius utilitate eorum, qui ſe Eccleſiae obligaverant; miraberis vero unum hominem ſufficere, & tantorum operum laborem ferre potuiſſe. Ipſa loca, in quibus verſabatur Mazochius, Romanarum rerum, gymnaſiorum, & Graecarum diſputationum quodammodo memoriam commovebant; quare ſolebat ſemper aliquid ſcribere aut legere, quod ad antiquitatem illuſtrandam pertineret. Prudentiſſimus vero homo e prodeundo in publicum refugiebat; & quae in adverſariis notabat, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis

legi ſe velle dicebat, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe quam ipſe. Sed roganti Joſepho a Capua Capycio viro perurbano & docto recuſare non potuit, quin de amphitheatro Campano librum conderet ederetque, qui ſane hominis eruditiſſimi illi famam confecit. Detecta enim per illos dies fuerat inter rudera ejuſdem amphitheatri inſcriptio quaedam, ſed haec mutila (*) quae non modo ſupplenda erat, ſed ita interpretanda, ut ex ea certiſſima argumenta atque indicia ad illuſtrandam veterem Campanam hiſtoriam erui poſſent. Et quidem, Mazo-

(*) Haec ita ſe habebat.

– IA. FELIX. AV
FECIT
IANVS. AV
T. COLVMNAS. AD
IVS. HADRIANV
PIVS. DEDICAVI

Quod deeſt inſcriptioni, ita Mazochius ſupplevit.

COLONIA. IVLIA. FELIX. AVG. CAPVA
FECIT
DIVVS. HADRIANVS. AVG. RESTITVI
IMAGINES. ET. COLVMNAS. ADDI. IVSSIT
IMP. CAES. T. AELIVS HADRIANVS. ANTONINVS
AVG. PIVS. DEDICAVIT.

chio interpretante, ſcimus quoties, & a quibus, quibuſque temporibus deductae Capuam coloniae fuerint; quam jure urbs haec altera Roma appellaretur; non ab ejus proſpera fortuna, ſed a Sylla Felice *Felicis*, ut ab Caeſare *Iuliae*, ab Octaviano *Auguſtae*, idque auctoritate Senatus, cognomen ipſam habuiſſe; fuiſſe illam inter colonias XVIII. urbium Italicarum primam, & quibus terminis circumſcriberetur; qua occaſione *de Campana pertica*, *ejuſque praefecturis* pluribus differit. Multa alia auctor perſequitur, ex quibus intelligimus, quos per gradus vetus Capua ex ampliſſimo ſtatu ad abjectum delapſa fuerit. Majora etiam patriam hiſtoriam illuſtrantia in lucem attuliſſet, niſi in animo illi fuiſſet hac ipſa de re ſeparatim agere, quandoquidem quae maximo labore & induſtria vir ſummus Camillus Peregrinius de Campanis antiquitatibus collegerat paucis ante ejus obitum menſibus ignis abſumpſerat. Quod ad amphitheatrum vero pertinet, minime ante Veſpaſiani tempora conditum illud fuiſſe putat, ſuppeditata pecunia ex publico civitatis aerario, cujus poſſeſſiones, vecti-

galia ac reditus omnes ſic enumerat, ut par tanto operi illud fuiſſe judicare debeamus. Quod amphitheatrum iſtud ab Hadriano reſtitutum atque ornatum, ab Antonino vero dedicatum dicatur, hinc conſequi affirmat alterum illud ad poſtrema Hadriani tempora, alterum ad Antonini imperii initia referendum. Nam cum dedicare idem ſit quod *uſui dicare*, haud putat magnum temporis intervallum inter Hadriani opus & Antonini dedicationem interceſſiſſe. Atque hic eum locus admonuit, ut de dedicatione, ejuſque notione ac ritu, quae a monumentis antiquitatis didicerat, exponeret, quod eo libentius fecit, quia nemo, uno excepto Gutherio (*), rem hanc tractaverat. Sed ne aliquid a Gutherio ſurripuiſſe, aut actum agere velle videretur, ita contexuit *diatribam* ſuam *de Dedicationibus*, ut praetermiſſa tantummodo notaret, ac quodammodo lectores ſuos cogeret ad utrumque opus conjungendum, ſi univerſae rei cognitionem aſſequi vellent. His confectis, redit ad Campanos ſuos, ut e-

(*) In III. de ver. jur. Pont. II. & 12.

os propenſiſſimos in omne genus ludos, ac praeſertim gladiatorios, in quos ſumptus efſuſos cum dedecore inſumebant, oſtenderet. Poſtremo de Campano theatro, cujus adhuc exſtant veſtigia, diſſerit, & dum inquirit quis proſcenii ejuſdem theatri redemptor fuerit, de anaglypto quodam, & ſingulis hujus imaginibus ea profert, ut plurimum addidiſſe Mabillonii & Fabretti hac ipſa de re animadverſionibus videatur. Quod properans feſtinansque haec ediderit, cauſſam fuiſſe ait Mazochius, quare non omnia ordinata ſuiſque locis diſpoſita ſint, & pauca quaedam etiam poſtea emendare debuerit. Intercurrunt nonnunquam aliae Campanae inſcriptiones, in quibus explicandis libentiſſime auctor immoratur: non omnia vero quae connecti cupiebat Capycius, perſecutus eſt, quod haec aliud quoddam ſeparatum volumen expectabant. Ceterum tam varia, tam recondita, tam multa eruditio, tantum acumen ad occultiſſima perſpicienda, & probabilia conjicienda, tam diligenter elaborata, & tanquam elucubrata Latina oratio commentarium hunc commendant, ut tanquam antiquitatis nun-

tius aliquis, vel vates optimus Mazochius ab omnibus jure ac merito praedicetur. Eodem tempore, quo haec in lucem edita ſunt, elaborabat Maffejus in ſimili ferme concinnando opere de amphitheatro Veronenſi, ſed cum exaequare ſe poſſe deſperaret eruditionem Mazochii, hujus laudi ac gloriae homo φίλαυτος non ſatis faviſſe viſus eſt. Nominavit quidem ipſum honorifice, non ut aliquid ab eo didiciſſe, ſed ut cum ipſius gloria communicare velle videretur. Aequiores in Mazochium Zenus & Muratorius fuerunt, qui illum parem ſummis viris, quibus noſtra non modo, ſed & ceterae nationes gloriantur, judicarunt. Haec cum minime ignoraret Aloyſius Harrachius Comes, qui Caroli VI. Caeſaris nomine Neapolitanum Regnum tum gubernabat, dignum Mazochium putavit, qui Regio Sacello & publicis ſtudiis (ſunt enim conjuncta haec munera) praeficeretur. Qui cum eo certamen honoris & dignitatis habebant (mos enim erat tres ad eligendum proponere) hujuſmodi competitorem verebantur; hic e contrario anxius & ſollicitus erat, ne quid de ſe

ejuſmodi ſtatueretur, cum nihil minus vellet, quam ſe ab otio atque ſolitudine abſtrahi. Cum res e ſententia ſucceſſiſſet, tum adiit Harrachium, quem antea ne ſalutaverat quidem, & vehementer obſecrare, ne poſthac e gurguſtio ſe ſuo (ſic enim bibliothecam ſuam appellare ſolebat) avocare vellet: cui breviter & honorifice ſane Harrachius: *tibi ego fortunaeque tuae gratulor, publicae rei, Neapolitanaeque litteraturae minime gratulor.* Fortunae iniquitatem ſarcire ſtuduit Joſephus a Capua vir nobilitate & virtutibus inſignis, qui cum in patrio Canonicorum Collegio principem obtineret locum (Decanatum vocant) de transferendo hujuſmodi munere in Mazochium deliberavit. Non repulit eum ab hoc conatu ſingularis Mazochii ipſius modeſtia, praeſertim cum hic ſibi in Theologi munere ſucceſſorem dari cuperet Jo. Baptiſtam Napolium, qui doctrina excultus putabatur. Quis tam excors quem iſta moverent? Fuerunt tamen plures, qui hujuſmodi ceſſiones tanquam ſacris canonibus contrarias criminarentur, deque iiſdem abrogandis, cum ad exitum perveniſſent, Romanum Pontificem ro-

gaverint; & eo ſtultorum hominum libido, iniquitaſque pervaſit, ut Mazochio exprobaverint generis ignobilitatem, & eum tanquam ſtipem Aethiopem ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, uno verbo indignum ampliſſimo munere dictitarent. Quanquam potuiſſet adverſariorum animos homo indigniſſime laceſſitus repungere, nihil tamen in ejus dictis & factis apparuit niſi moderatum & prudens, & ea praeſtitit ingratae patriae officia, quae ab homine maximis beneficiis ornato expectari potuiſſent. Cogitavit tamen ex hac turba & colluvie diſcedere, & gaviſus eſt oblatam ſibi a Cardinali Spinellio Neapolitano Archiepiſcopo occaſionem fuiſſe, domicilium Neapoli collocandi, cum ejus Metropolis Canonicus, & ſacrarum litterarum magiſter, non modo ipſo Cardinali, ſed etiam Galianio Praeſule ſuffragantibus, in Regia Academia declaratus fuiſſet. Ex multis enim & praeſertim ex Belgis, eo tempore quo apud ipſos Pontificis Legatus fuerat, audierat Spinellius ea de Mazochii doctrina praedicari, ut nihil eſſet ad laudem illuſtrius. Neque multo poſt dedit etiam illuſtriora indi-

cia ſuae de Mazochio opinionis Rex ipſe; cum Anaxanenſem Archiepiſcopum illum deſignavit. Tum aliquando non ſolum piguit Campanos levitatis ſuae, ſed etiam puduit, quod omnes certare viderentur in ornando homine, quem ipſi deſeruerant. Sed obſtitit Regis voluntati Mazochii ipſius modeſtia, cui id unum propoſitum eſſe videbatur, ut remotus a ſtudiis ambitionis otium ac tranquillitatem vitae ſequeretur. Honorem vero immortalem cum ſe cepiſſe arbitraretur ex Regis in ſe benignitate atque judicio, gratus erga eos cognoſci voluit, quos fortunae ſuae auctores fuiſſe judicaverat. Inſtituit ergo ad Bernardum Tanuccium Regis a ſecretis epiſtolam ſeu libellum *de Dedicatione ſub aſcia*, ut eſſet unde ad illa, quae hac ipſa de re antea egerat (*), corollarium adderetur. Recitatis XXX. & amplius doctorum virorum ſententiis (nulla enim alia formula magis torſiſſe antiquitatis ſtudioſorum ingenia videtur) ſuam demum exponit, ac mira eruditionis copia confirmat. *Dedicare* eſſe ait uſui tradere *ἐγκαινίζειν*, quod

(*) Com. in Mutilum Campani Amphitheatri titulum pag. 89. & ſeq.

fit cum primum ſepulcro cadaver infertur, tumque religioſum eſſe incipit; nomine vero *aſciae* proprie ſignificari fabrile inſtrumentum, idque metonymice ſumi pro ipſa muri ſtructura & fabrica: itaque *ſub aſcia dedicare* eſſe ſub ipſa ſepulcri ſtructura, id eſt ſtatim ac perfectum eſt, vel cum parum abeſſet, ut perficeretur, uſui traditum eſſe, cadavere vel cineribus eo illatis. His poſitis, plura inſcriptionum exempla profert atque explicat. Quod legitur in Inſcript. apud Muratorium p. 537. n. 3. *ſe vivo ab aſcia fecit monimentum muro cinctum* & ſimilia apud alios, quemadmodum *ſub aſcia poſuit*, *conſummatum ſub aſcia eſt*, item *ad aſciam dedicatum poſuerunt*, indicare ait primum aſciae uſum, quando ſcilicet fundamenta ponuntur. Quoties vero in hujuſmodi lapidibus alius eſt qui ſepulcrum poſuit, alius qui dedicavit, ut apud Gruterum p. 631. n. 7. *Divitia Domitiola conjugi Kariſſimo ponendum curavit, & filii ſub aſcia dedicaverunt*, ſententiam eſſe, poſitum quidem fuiſſe a Divitia ſepulcrum, ſed a filiis, cadavere patris eo ſtatim condito, dedicatum. Si quando vero legatur

aliquem *vivum ſibi ſub aſcia dedicaviſſe*, ut apud Gruterum ſemel iterumque, ſic intelligendum, ut vivus monimentum extruxerit, & ſtatim poſt moriens illatus ſit, epigraphe ab alio poſita. Si quaeratur cur in Lugdunenſibus potiſſimum inſcriptionibus *aſciae* mentio fiat, reſpondet Mazochius, nuſquam magis quam in ea provincia ſepulcra violari conſueviſſe vel diruendo, vel inarando, vel alienum mortuum inferendo, praeſertim ſi vel imperfecta eſſent, vel vacua & nondum uſurpata. Itaque & aſciam appingere, & formulam adſcribere morem fuiſſe, ut ſciretur eum locum jam eſſe religioſum, atque proinde non violandum. His ultro eruditiores arriſerunt, & Mazochii ingenium admirati ſunt, & quidquid attulit laudibus extulerunt. Muratorius de ſua priſtina ſententia (*) diſceſſit plane Mazochio aſſentiens,

(*) Hujuſmodi ferme erat ſententia Muratorii. Cum aſciae figura, quae in lapidibus appingitur, ſaepe ligonis, aut ſecuriculae formam referat, ait, putare ſe illud *ſub aſcia* continere hortationem & preces ad poſteros, ut locum ſepulcri purgatum ſervent, nec ſinant ſtirpibus, herbis, vepribus horreſcere & impediri. Facciolatus vero ita ferme propoſuit ſententiam ſuam. S. C. & decreto Pontificum cautum erat, ut poſt-

cujus rei nos certiſſima monumenta habemus. De Facciolato non audemus eamdem rem affirmare, quamvis mirificus eſſet praedicator ſcriptorum Mazochii, in quibus tantummodo limatius quoddam ſcribendi genus & perpetuum aureae Latinitatis colorem deſiderare videbatur. Qui vero invidioſe judicare ſolent ad minuendam Mazochii gloriam, hunc minime novam propoſuiſſe ſententiam, ſed veterem Pitiſci renovaſſe clamitabant (*). Functus hoc labore, in quem perpaucos menſes impendit, animum ad Biblica traduxit,

quam mortui cadaver aut cineres in ſepulcrum illati eſſent, liceret nemini locum illum religioſum factum attingere aut mutare, niſi a Praeſide provinciae venia peteretur, & ad Collegium Pontificum referretur. Id cum provincialibus Roma longe diſſitis perincommodum eſſet, aſciam ſepuleris & formulam apponebant, ut ſignificarent, aedificatum quidem eſſe ſepulcrum et uſui traditum, ſed non exaedificatum, & extrema manu politum, & adhuc ſub aſcia poſitum, quo liceret domino aut heredibus mutare aliquid, addere, ampliare, aut transferre, tanquam inchoatum tantummodo & imperfectum.

(*) *Vid. Explication de divers monumens ſingulieres qui ont rapport a la religion &c.* p. 83.

quam in rem multa ſepoſuerat vel ab eo tempore, quo Canonicum Theologum, ut vocant, Capuae agebat, majora etiam, ex quo munus interpretandi divinos libros in Neapolitana Academia ſuſceperat. Quamvis in chartis Mazochii ſeges eſſet & materia gloriae ſingularis, quae tamen inde conflavit volumina modeſto ſane nomine *Spicilegia biblica* appellavit, quaſi ipſe quae ceteri praetermiſerant ac reliquerant ut non magni momenti colligeret. Quod ſi ut ampliſſimum nomen conſequeretur maxime effecit primum operis volumen, quod Carolo III. Hiſpaniarum Regi nuncupatum an. MDCCLXII. in lucem prodiit, ut id non ſolum retineret, ſed etiam augeret, aliis vulgatis voluminibus, elaboravit. Si vero univerſum hoc opus ſacrae profanaeque eruditionis theſaurum dicam, minus quam debeam praedicabo. Ea eſt lectiſſimarum rerum copia, adeo pollet Auctor arte conjiciendi ac rem cum re comparandi, ut inficiat & flectat ut vult lectoris animum, etiam cum minus probabilia ſequi videtur. Quis vero credat ex Homero, Heſiodo, Herodoto, Platone, ceteriſ-

que hujuſmodi veteribus ac profanis ſcriptoribus, quos diurna nocturnaque manu verſabat Mazochius, adeo multa erui potuiſſe ad divinos libros explanandos accommodatiſſima? Qua de re glorians Cyprianicum illud uſurpare ſolebat, *ſe ex Aegyptiorum ſpoliis Dei tabernaculum exornaſſe*. Addebat etiam ſe in *Silvas Phalegicas*, in quibus diſtincte & explicate de orbis diviſione ſub Phalego inſtituta agitur ad probandum non Italiam ſolum & pleraſque Europae Provincias, ſed etiam eas, quae, florente Graecia, Graeca lingua utebantur, Phalegicae ſive Orientalis originis diu certa veſtigia retinuiſſe, quas ſilvas ad calcem primi voluminis rejecit, omnem vim memoriae atque doctrinae effudiſſe; & is quidem erat Mazochius, ut ubi locum aliquem cogitatione ſepſiſſet, nihil illum effugeret, atque omne, quod eſſet in re, occurreret atque incideret. Interdum fortaſſe nimia rerum copia officere videtur rectae diſtributioni, ordini, perſpicuitatique; & cum in ſcriptis Mazochii flumen illud reconditioris eruditionis admiratus fueris, eſt tamen aliquid quod in eo deſideres ad diſ-

ﬂuentia extra ripas coercenda. Hac doctrina homo & induſtria omnino ſingulari vix poterat in una re ſeparatim elaborare. Itaque cum in plura eſſet diſtractus, domeſticum infortunium facile ab eo obtinuit, ut ſacrorum Canonum interpretem ageret. Dominicus Franciſci fratris filius in matrimonium ſe ducturum ſpoponderat feminam libero & ingenuo homine indignam, idque invito patre. Re ad judices delata, quod obſtare viderentur patris voluntati Canonicae leges, facile ille ab Alexio fratre obtinuit, ut paterni juris defenſor eſſet. Recuſa itaque *diſſertatione* Muſcettolae Roſanenſis Archiepiſcopi *de filiisfamilias invito patre nuptarientibus*, additiſque commentariis ad illam confutandam, rem eo deduxit, ut non ſolum illo judicio, ſed & pluribus conſequentibus, quod etiam poſteriori lege ſancitum fuit, praeciſa fuerit filiisfamilias licentia ac libertas matrimonio ſe obligandi, parentibus ex aequo repugnantibus. Id enim non ſolum rei publicae, ſed etiam Conciliorum ſanctionibus conſentaneum eſſe probat. Ne putemus vero mediocriter Mazochium in hoc forenſi opere elaboraſſe,

raſſe, cum ei neceſſe fuerit ex Eccleſiarum monumentis, & veteri Chriſtianae reipublicae diſciplina opus ſuum ſane eruditiſſimum conflare. Qua in re cum eſſet occupatus, forte deteguntur in Baſilica S. Jo. Majoris binae oblongae tabulae ex marmore, in quibus nomina Sanctorum ex menſium ordine diſpoſita indicium faciebant Calendarium inibi eſſe inſculptum, quo antiquitus Neapolitana Eccleſia utebatur. Monumentum quidem aut omnino ſingulare, aut oppido rariſſimum. Quid de eo ſentiret reſpondere debuit Mazochius Spinellio Cardinali, ut homini harum rerum curioſo, & quamvis in detrectando onere explicandi illud copioſis commentariis pene omnem humanitatem exuiſſe videretur, ad extremum tamen cedere debuit Archiepiſcopi voluntati atque imperio. Quod vero hoc proprium eſſe ſapientis arbitrabatur ut nihil faciat invitus, nihil dolens, magno atque hilari animo opus ſane multarum vigiliarum agreſſus eſt; nec putavit fas eſſe verbum ex ore ſuo exire, quod non jucundum & honorificum ad aures Spinellii accederet; ea vero de ipſo in ingreſſu operis praedicavit,

ut nihil addi poſſe hominis, quem ad Chriſtianam rempublicam conſilio atque auctoritate gubernandam natum dixiſſes, laudibus videatur. Non ſua, ſed typographi culpa contigiſſe ait, ne ea, quae chartis conſignaverat, politius limare & ordinatius diſponere potuerit, & id etiam doluit, quod ſaepe affligaretur valetudinis incommodis, & quod eo fieret tardior, quo plus ſibi aetatis accederet. Nihilo tamen minus plurimum miraberis unum hominem ſine anagnoſte & ſcriba adeo multa percurrere legendo & colligere potuiſſe, quae non modo ad Calendarii explicationem, ſed etiam ad ornamentum ac dignitatem univerſi operis pertinerent. Delectandi cauſſa quandoque a propoſito parumper digreditur, & tum vel quaeſtiones difficillimas ſolvit, vel non bene explorata confirmat, vel dubia illuſtrat. Acta Sanctorum, vetera Calendaria, Martyrologia, Sacramentaria & cetera hujuſmodi volumina nullius unquam Scriptoris aeque ac Mazochii in poteſtate fuiſſe judicaveris, cujus mirum praeſertim elucet acumen ac diligentia in ſeparandis veris a falſis, quibus plerum-

que ſcripta illa mirum in modum abundant. Minime a me expectari arbitror, ut de rebus a Mazochio judicatis aliquid hoc loco exponam: id enim infinitum eſſet. In operis ingreſſu id ſibi Auctor propoſuerat, ut non omnia, quae ad Sanctorum hiſtoriam, ſed quae tantum ad illuſtrandum Calendarium ſuum nominaque Sanctorum in illo ſignata certis temporum ac locorum notis a ceteris cognominibus ſecernenda pertinerent, ac pauca ejuſcemodi alia perſequeretur; ſed cum ad Faſtos menſis Februarii perveniſſet, mutavit ſententiam, & in vetera acta inquirere coepit, & quaecumque ſive indicta viris eruditiſſimis, ſive ſecus dicta reperit, ea ſtatim arripuit, & tanquam in poſſeſſionem vacuam irrupit. Itaque non tam magnitudo rerum, quam novitas ipſa ad legenda haec Mazochii ſcripta debet omnes excitare. Editum quidem an. MDCCXLIV. primum operis volumen fuit, quo in extremo, ut Neapolitanorum ſtudiis citius ſatisfaceret, poſuit acta S. Januarii Hieromartyris eatenus inedita. Biennio poſt ſecundum prodiit volumen. Dici ſatis non poteſt quanto cum plauſu a doctis hominibus excepta fuerint. Erat

in Academia Lipſienſi Jo. Jacobus Greiffius, vir omni liberali doctrina politiſſimus & ſacrorum librorum interpres, qui in se ſuſcepturum onus ſpopondit Saxonicam in linguam convertendi univerſum opus, ſi facta ſpes fuiſſet illud ad umbilicum iri perductum: nihil enim illo ſe vidiſſe eruditius, nihil ad noſcendam antiquitatem, caerimonias, ritus, religioneſque majorum in Deum, & exempla magnarum virtutum accommodatius affirmabat. Sed defuit ejus votis fortuna. Nam edito tertio volumine, quo priores ſex Calendarii menſes abſolvuntur, de perſequendo opere nihil amplius Mazochius cogitavit, quamvis maxime ſtimularetur a Dominico Antonio Malarbio, qui pro ea, qua abundabat doctrina, & pro ſumma, quae ſibi cum Mazochio ipſo intercedebat, amicitia, ſe adjutorem futurum pollicebatur. Praetermiſſa vero a Mazochio nemo abſolvere auſus eſt, & vel eruditiſſimi hac in re Ciceronianum illud uſurpare ſe poſſe putarunt. *Nemo pictor eſt inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, abſolveret.* Minime vero inconſtantiae, levitatique, ſed potius neceſſi-

tati tribues, quod Mazochius ſuſceptum onus depoſuerit. Ea enim accidere, quae vim quamdam illi alio convertendi ſtudia ſua attulerunt. Acerrima ſane exorta erat controverſia inter Canonicos & Hebdomadarios Metropolitanae Eccleſiae Neapolitanae, de qua cum judicium pronuntiandum eſſet Neapoli atque Romae, ut ſingulae partes ſuo juri maxime confidebant, ita ſibi doctiſſimos exoptabant patronos, qui illud ab adverſariorum telis defenderent. Contendebant Hebdomadarii duas olim extitiſſe Neapoli Cathedrales Eccleſias, Graecam nimirum & Latinam, ſe vero in locum Latini Capituli, Canonicos in Graeci Collegii vices ſucceſſiſſe; ac propterea parem in utriſque eſſe dignitatem: quod quidem pleniſſimum eſſe inſcitiae atque intolerandae temeritatis & arrogantiae affirmabant Canonici. His recuſare non potuit Mazochius & pro neceſſitudine Collegii, & quod vehementer etiam atque etiam rogaretur, ut cauſſam Capituli toto animo defendendam ſuſciperet. Sepoſitis ergo ceteris occupationibus, in *Diſſertationem de Cathedrali Neapolitana ſemper unica incubuit*, quam tan-

dem fractis prope viribus edidit an. MDCCLV. Pars prior operis in eo verſatur, ut probet Eccleſiam, quae nunc dicitur S. Reſtitutae, in locum ſucceſſiſſe veteris Stephaniae, ejuſque reliquias continere. Sunt autem hujuſmodi argumenta, ut eorum ſingula miram non modo ad comprobandum, verum etiam ad demonſtrandum vim habeant; ſimul vero conjuncta aſſenſum vel invito extorqueant. Sed fortaſſe videbitur tibi Auctor in hac diſſertatione tantummodo partes argumentandi confuſe & permixte diſperſiſſe, quam effeciſſe, ut, tanquam aliqua machina admota, ſtatim expugnaretur lectoris animus, ſtatimque intelligeret in tota illa cauſſa quid res ipſa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit. Sed uſus eſt Mazochius illa deprecatione, qua ſibi saepius utendum eſſe intelligebat, idcirco a ſe rerum colligationem ordinemque neglectum, quod ex theſauris ſuis nimis multa deprompſerit; conſuluiſſe tamen lectoris eruditioni ipſa rerum copia, neque vulgaria & pervagata, ſed recondita atque abſtruſa ad forenſis cauſſae ornamentum traduxiſſe. Ipſe vero cum ad o-

pus acceſſit nihil ſuſpicabatur minus quam ſuſcipi a ſe laborem tantum debuiſſe, ut res tam ſalebroſas atque inſuaves, tum etiam denſiſſima obſeptas caligine, nec ullius antea ſignatas veſtigiis tentando experiendoque, & quibuſcumque modis poſſet extundendo detegeret ac palam exponeret. Sed patientia uſus incredibili dum cauſſae ſervivit, ita hiſtoriam illuſtravit Neapolitanae Eccleſiae, eorumque, qui illam gubernarunt, ut ad legendum vel eos illexerit, quos nihil omnino cura illius controverſiae tangebat. Retulit vero in appendicem operis *diatribas* uſque ſex, quarum prima eſt de inſula Salvatoris & caſtro Lucullano a Conſtantino Magno Eccleſiae Neapolitanae dono datis altera de vocis *Squaraſtaſe* ſignificatione, cum in monumento quodam legatur ipſum Caeſarem inter cetera juſſiſſe in eadem Eccleſia fieri Graecorum more *Facetias, quae Latine dicuntur Squaraſtaſc*. Putat autem Mazochius iis vocibus innui ritus quoſdam, in quibus conceptis verbis dicebatur aut canebatur ultro citroque aliquid non ſine aliqua geſticulatione & corporis motu, atque hujuſmodi ritus *ludi ac repraeſentatio-*

num etiam vocabulo deſignari. Tertia eſt de Neapolitana Colonia, quam ſub Domitiano Principe conſtitutam fuiſſe multis argumentis probare conatur. Sed nobiliſſimae urbis vices in extrema diatriba ſic perſequitur, poſtquam monumenta plura ad hanc rem pertinentia eruditiſſime explicaſſet. *Jam ab initio Graeca Reſp. libera prorſus, & αὐτάρκης erat: deinde Romanorum foederata reſpublica: poſtea lege Julia civitatem Romanam aſſecuta, inter municipia, opinor, Graecanica (cujuſmodi ab eo tempore fuere aliquot in magna Graecia) numerabatur: poſtremo exeunte primo ſaeculo Chriſtiano, ac facile ſub Domitiano Principe Coloniae Romanae decus ſibi peperit; quam demum nomenclaturam (tametſi ſub Caracalla cum toto orbe jure civitatis communicato) Neapolis rata perhonorificam, adhuc IV. Chriſti ſaeculo, in marmoribus retinebat. Ac demum ſub Conſtantinopolitanis Principibus ſuam adhuc reipublicae & libertatis ſpeciem oſtentabat; quam quidem libertatem eidem civitati Rogerius Rex aſſeruit; imo & pari libertate an. MCXC. adhuc utebatur, ut ex privilegio Amalſitanis ab eo Senatu, qui tunc huic urbi praeerat, conceſſo, poteſt in-*

telligi. Haec Mazochius. Non minorem eruditionis apparatum habent quae conſequuntur diatribae, in quibus agitur tum *de Neapolitanae Eccleſiae Canonicis Cardinalibus*, quorum vel a S. Gregorio mentionem factam fuiſſe reperimus, tum *de ordine divinorum officiorum, qui antiquitus in Fratriis Neapolitanis ſervabatur*, ac demum *de pervetuſto Athanaſiani hoſpitalis inventario* quodam, quod ad confirmandam recentem Hebdomadariorum originem opportuniſſimum judicavit. His allatis ſervile illud bellum (quis enim ignorat Hebdomadarios eſſe, & habitos ſemper fuiſſe *Capituli* ſervos? (*)) eſſe deſiit, cum judicium ſecundum Canonicos factum fuiſſet; quorum dignitati cum ſerviret Mazochius, quanquam magnam aliquam ſibi propoſitam

(*) Plures extant Romanae Rotae deciſiones, quibus definitur *Beneficiatos reputari debere tanquam ipſius Eccleſiae & Capituli ſervos, & penes ipsos non imperandi eſſe auctoritatem, ſed obſequendi neceſſitatem*. Vid. Rot. coram Tanaria dec. 127 T. 1. n. 16. Non abſimilia docet Card. de Luca de Can. diſc. 32. n. 11. quae commemoranda eſſe duximus, ne quis injurioſa Hebdomadariis nos protuliſſe judicet.

fuiſſe aerumnam conquereretur (1), animus tamen defeſſus facile collegarum precibus renovabatur. Ne requieſceret Joſephi etiam Aſſemanii imprudentia (nolo enim de homine eruditiſſimo ampliſſimiſque honoribus ſpectatiſſimo odioſius dicere) fecit, qui oblitus veteris amicitiae, quam cum Mazochio an. MDCCXXV. Romae hoſpitante apud Majellam contraxerat, & Mazochius ipſe ſummis ſemper officiis coluerat, omnia argumenta ab hoc allata ad probandum unicam ſemper fuiſſe Neapoli Cathedralem Eccleſiam convellere eſt agreſſus, & vel ea quae non poſſunt commoveri (2). Aegerrime tulit Mazochius hujuſmodi factum, quo ſe & veri-

(1) *Nihil a me verius afferri poteſt* (ita ille) *quam me mihimet viſum ad metalla damnatum, quo tempore ad hanc de Cathedrali noſtra curam deſcendendum fuit. Sciunt non tantum collegae mei ornatiſſimi, ſed & ii omnes quibuſcum ſermo incidit. Quid enim? Labor videbatur improbus, idem vero & inglorius &c.*

(2) In II. Tom. operis quod inſcribitur *Italicae hiſtoriae ſcriptores ex biblioth. Vatic. collegit & illuſtravit Joſeph Simonius Aſſemanius &c. Rom. an.* 1751.

tatem plurimum laeſam arbitrabatur. Reſpondit itaque Aſſemanio ad ſingula, nec ſine ſale quodam (quanquam cum omnibus ornamentis abundaret, illi defuiſſe mihi videatur facetiarum & urbanitatis lepos quidam) & cum eruditionis & argumentorum copia, ut non immerito illum χρυ'σεα χαλκείων reſpondiſſe judicatum fuerit: quod judicium magni fuiſſe dictitabat ad levandas moleſtias, quas ex univerſo opere ceperat. Hac cura ſolutus non ſperabat ſe liberum & otioſum fore: multi enim ejus operam requirebant, maximeque Spinellius Cardinalis & Carolus Guevara e Ducibus Bovinenſium, quorum alter non modo expectabat ea, quae pollicitus fuerat *de Kalendario Neapolitano* abſolvendo, ſed etiam exigebat; alter Regis voluntatem proponebat, qui Heracleenſes aeneas tabulas cum ampla & ſplendida explicatione, cui operi jam manus Mazochius admoverat, in lucem hominum prodire exoptabat. Unus certe homo minime poterat utrique ſatisfacere, & quamvis Spinellius praeoccupaſſe jam Mazochii operam dictitaret, reique utilitatem prae ſe ferret, Regis tamen deſiderio

cedere debuit; ſed ita, ut ſaltem Mazochius Diſſertationem contexeret, in qua recenſerentur Sancti Neapolitanae Eccleſiae Epiſcopi, atque ii praeſertim ornarentur, quorum nomina & ſanctitas, quamvis publice coli deſierint, per Calendarium innoteſcebat. Hanc Diſſertationem bona cum Guevarae venia edidit Alexius an. MDCCLIII. & quamvis acceptiſſima illa fuerit tum Spinellio ipſi, tum ſummo Pontifici Benedicto XIV., qui ſane prudentiſſimus erat hujuſmodi operum judex, habet tamen multa alia properantis & omnino feſtinantis ſcriptoris ſigna. Nihilo tamem minus non mediocris laboris fuiſſe judicaveris e tenebris in lucem vocare tot monumenta, tot chronologica, quae erant implexa, explanare, & litterarum lumen ad tot ſanctorum virorum hiſtoriam afferre, ſic ut per Mazochium compertum habeamus urbem, quam pulcherrimam, florentiſſimam potentiſſimamque Deus eſſe voluit, ſanctitatis quoque laude adeo excelluiſſe, ut, una excepta Roma, nulli concederet. Studia vero Spinellii effecerunt, ut eſſent in honore Beati illi, quorum nomina in Faſtis iis erant

inſcripta; & cum plauderetur diligentiae eruditionique Mazochii, hic totum id Spinellio ipſi acceptum referri debere ajebat, qui ſibi princeps & ad ſuſcipiendam & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum extiterat. Hac cura exſolutus Mazochius diu noctuque fatigare animum, ut fidem datam Guevarae liberaret. Ex iis, quas diximus, Heracleenſibus aeneis tabulis, una Graece, altera Graece pariter in adverſa parte, at Latine in averſa erant exaratae. Et Graecae quidem inſcriptiones ultima antiquitate (nam tertio ante Aeram Chriſtianam ſaeculo conditae fuerunt) ſe ſe commendabant; Latina vero rerum gravitate praeſtabat: ſyllogen enim continebat legum Romanarum, in quas populi, qui conſequi civitatem Romanam vellent, fundi pro more fiebant. Repertae illae caſu fuerunt in imo illo Magnae Graeciae receſſu, qui Sinui Tarentino imminet, ubi Heraclea, urbs olim clariſſima, ſita fuiſſe creditur. Nactae vero poſſeſſorem Guevaram, ſi fragmentum excipias in Britanniam adſportatum, unde Regis ſtudio tandem Neapolim rediit, tales judicatae fue-

runt, ut Regium Herculanenſe Muſeum exornarent. Verum antequam eo inferrentur, ſuam explicationem inchoaverat Mazochius, qui cognita rei difficultate amplitudineque dicere ſolebat: *ſi hae tabulae mihi ver aetatis agenti expoliendae obtigiſſent; profecto hoc unum colere, ceteris ſuperſedere voluiſſem*. Nihilo tamen minus ea alacritate operi manum admovit, ut adoleſcens, cum plane grandis aevo eſſet; eoque, ut potuit, abſoluto, ſe mirari dicebat, quod tanto oneri minime ſuccubuiſſet, praeſertim cum ſaepe afflictaretur valetudinis incommodis. Tanquam magni aedificii veſtibulum eſſe voluit, quae non de Heraclea modo, ejuſque vicinis Tarento, Metaponto & Pandoſia, ſed etiam de Magna Graecia univerſa copioſe ſane diſſeruit, & quae perſecutus eſt de Dorica dialecto & hac veteri, qua conſcriptae illae tabulae eſſe videntur. Jam vero ſi quaeras, quid hae contineant, diſces ex iis quidem menſuram, limites, diviſionem, locationemque duorum agrorum, quorum alter Dionyſio, alter Minervae ſacer erat. Neque haec mediocris eſſe momenti putaveris Mazochio interpre-

tante. Quot Graeca vocabula, quae aut plane ignorabantur, aut incertae erant ſignificationis, nova luce illuſtravit! Quot locos gloſſographi Heſychii depravatos ac prope deſperatos reſtituit! Illa vero, quae ſpectant ad geodaeſiam, terminandique rationem, ad conſuetudines quaſdam proprias Heraclienſium, ſtatumque eorum Reipublicae, quanta eruditione exponuntur atque exornantur! Neque copioſe minus illius aetatis ritus, ſacra, leges, pacta, aliaque hujuſmodi plura perſequitur Mazochius, ut cum tot res, tantas, tam opportune in unum concluſerit volumen, non erudire modo lectorem, ſed etiam admirationem excitare voluiſſe videatur. Fortaſſe ipſa rerum copia officit ordini, & in eo jam conſenſiſſe videntur eruditiores, eſſe & haberi debere Mazochii ſcripta ἀσύνδετα. At ſi non bonam, at aliquam rationem ipſe afferre poterat, quod nollet perire immenſa illa omnia e reconditiori eruditione hauſta, quae in adverſaria retulerat. Praeter quam quod cum ejus nomen non in univerſa modo Italia, ſed etiam ultra montes & maria celebraretur, videbatur ſibi gra-

vis adverſaria conſtituta & parata, incredibilis quaedam expectatio, quam ſe ſuſtinere, tuerique non poſſe putabat, niſi vim optimarum graviſſimarumque rerum fudiſſet. Hinc mos illi ornandi ſcripta ſua *prodromis*, *proloquiis*, *excurſionibus*, *notis*, *diatribis*, *auctuariis*, *commentationibus*, *exercitationibus*, quae omnia ſatis oſtendunt, ipſum magnifice magis, quam belle illa contexere voluiſſe. Sed ut ad tabulas Heracleenſes redeam (nolo enim ſaepius longiuſque digrediendo a propoſito imitari Mazochium) quod pars earum erat aeneum fragmentum quoddam ex Italia in Britanniam, ut diximus, allatum a Brianno Fairfaxio, & illuſtratum a Michaele Maittario, neceſſe fuit Mazochio hoc monumentum omniaque in eo contenta expendere atque explicare. Pertinet hoc ad illam tabulam, quam in utroque latere exaratam diximus, cum in adverſa parte pſephiſma Graecum de Dionyſiaco campo, in averſa quamdam legum Romanarum Pandecten Latino ſermone expoſitam contineat. Nec quiſquam dubitabit, quin illa, quae ſcita fuere in populorum antiquiſſimorum inſtitutis ac

legi-

legibus magni momenti ſint, magnamque ſuppeditent ſegetem differendi, prodendique nova & recondita multa, quod quidem ſic praeſtitit Mazochius, ut portentum & miraculum eruditionis ejus opus nonnulli appellaverint. Summa vero rerum in hac tabula contentarum ad legem illam Juliam refertur, qua lege, ut ait Cicero pro Cornelio, ita civitas eſt Sociis & Latinis data, ut qui fundi populi facti non eſſent, civitatem non haberent. Nec enim novos cives aliter quam Romanis moribus vivere decuit; tametſi iis indultum fuit, uti legum συναγωγὴν ad eos ab Urbe delatam, ubi opus eſſet, augerent atque corrigerent, ne a patriis inſtitutis penitus deſciſcere viderentur. Lata illa lege DCLXIII. maxima contentio ſuit Heracleenſium & Neapolitanorum, cum magna pars in iis civitatibus foederis ſui libertatem civitati anteferret; ſed ii tandem, & fortaſſe omnium primi in leges Romanas conſenſerunt, additis aut correctis quibuſdam, ſicque Heraclienſis populus fundus factus eſt, ejusque municipium fundanum evaſit. Mira vero aequitate

ac prudentia ipſos fuiſſe in accommodandis ſibi Romanis legibus, nihilque praetermiſiſſe, quod ad bene gubernandam rempublicam pertineret, ipſarum legum capita ſatis oſtendunt, quae ſic interpretatur Mazochius, ut non magis antiquitatis quam juris conſultiſſimus fuiſſe videatur. Multum etiam in enodandis ac inter ſe comparandis dicendi modis eſt verſatus, ut non tam legum interpretationi, quam commodis utilitatique Latinae linguae ſtudioſorum ſerviret. Prorſus omnia, quae attulit, non videntur reperiri potuiſſe ſine magna elaboratione atque operae conſumptione; quare minime eſt mirandum, ſi cum ipſe ad Regem veniſſet, ut typis impreſſum jam opus illi offerret, conſurrexerunt omnes ii, qui propter generis praeſtantiam verſari familiarius cum Rege ipſo conſueverant, ut ſeni jam feſſo plauderent, animoſque adderent. Spes enim erat fore, ut in explicandis rarioribus monumentis, quae poſtquam teterrimis Veſuvii montis eructationibus perdiu ſepulta Herculanei jacuerant, per illos dies detegebantur, elaboraret. In hac tam pretioſa ſupellectile

magna erat papyrorum, ſeu librorum circum umbilicum convolutorum copia, quae inſtruendae pene bibliothecae ſuffeciſſet. Nihil attinet dicere, quantam expectationem omnium eruditorum haec res moverit, ſeque Carolus Rex felicem putabat, non tam quod in totius Italiae parte beatiſſima collocatus a Deo eſſet ut regnaret, quam quod ſpes erat per ſe litteratorum rempublicam novis incognitisque veterum ſcriptorum libris auctum iri. Itaque mandatum Mazochio etiam atque etiam eſſe voluit, ut Herculanenſium papyrorum fragmenta ipſe deſcriberet, atque interpretaretur. Sed vidit ſtatim Mazochius rem habere multum difficultatis & laboris, quandoquidem volumina, quae in humido ſolo jacuere, ferme contabefacta fuerant, quae vero in arido pulvere, ſic obriguerant, ut vel minimum flexa in vitri modum diſſilirent. Attamen ſingulari diligentia atque induſtria obtinuit, ut non mediocre fragmentum Graece exaratum exſcriberetur, & cum omnium judicio digne, ac merebatur, commendata fuiſſet Mazochii interpretatio, vehementius ipſe commovebatur ad alia frag-

menta explicanda. Plura hujuſmodi in unum colligere volumen meditabatur, & in vulgus edere cum hac inſcriptione: *Herculanenſis Bibliothecae ſpolia ;* & cum de ultimis Herculanei ac viciuarum urbium antiquitatibus diſſertationem jam vulgaſſet, quam tanquam operis veſtibulum eſſe deſtinaverat, omnes mirabantur hominem confectum ſenectute & praepeditum valetudinis incommodis adeo multa non dicam conficere, ſed vel cogitare potuiſſe. Ea in Diſſertatione cum inquireret qua de cauſſa mons Veſuvius appellaretur, hujus nominis etymon in voce Orientali, quae *ignem* denotat, invenit, idque perſpicuam prae ſe gerere conjecturam ait, diu ante Titi Caeſaris tempora, cum Orientis populi emigrantes domo in Italia conſederunt, montem illum ignem evomuiſſe. Hanc commentationem, quam Franciſcus Seraus ex Latino in Italicum ſermonem convertit, in lucem proferri juſſit Carolus Rex, qui quidem non committendum putavit, ut in detegendis tot antiquitatis monumentis quidquam inconſulto Mazochio fieret. Tum excitatum eſt ſi non odium, attamen aut invi-

diae, aut odii non diſſimilis offenſio, fuitque tempus cum vir, cujus jam nomen & honos inveteraverat & illi urbi & hominum famae & ſermonibus, tacite dolere debuit, quoniam libere loqui non licebat, multa indigniſſime & omnino barbare fieri in illis Herculanenſibus excavationibus. Ceterum Rex omnibus teſtatum voluit quanto in pretio haberet Mazochium cum ex regio aerario ei quotannis pendi juſſiſſet ducatos, ut vocant, tercentos. Tum rogat Mazochius Regem ipſum, ut in partem tantae munificentiae vocaretur Nicolaus Ignarra ſumma ſpe animi & ingenii praeditus adoleſcens, quo familiariſſime, tanquam ſocio & adjutore ſtudiorum, utebatur. Admiratus Rex ſenis virtutem, nihil ei detractum voluit, novoque beneficio Ignarram obſtrinxit. Tantus ille vir tanti duxit hoc beneficium, ut ſaepe ſoleret ante oculos adoleſcentium ſtudioſorum ponere, quaſi Rex ſignum aliquod ad bene de litteris ſperandum ſuſtuliſſet. His rebus geſtis, cum ſatis diu gloriae & naturae ſe vixiſſe arbitraretur, requiem animi & corporis unice quaerere ſe velle dicebat; ſed accidit res, quae certe

illum vehementiſſime pupugit, & quae ab eo nova ſcripta extorſit. Ediderat, quemadmodum ſupra retulimus, Mazochius in extrema parte I. voluminis de Calendario Neapolitano *Acta Hieromartyris Januarii*, quae quod e codice quodam Bononiae extante exſcripta fuere, *Bononienſia* appellavit, ut eſſet diſcrimen inter haec & illa, quae in Vaticana Bibliotheca Romae adſervantur. Haec autem Acta Latina, quamvis foeditate ſua (mendis enim & lacunis abundant) deterrere Mazochium debuiſſent, magno tamen in pretio habenda intellexit, quod ex quamplurimis Graecanicis ſcribendi modis conjicere ſe poſſe putavit ex antiquiore Graeco archetypo Latina facta fuiſſe ab homine, qui non ſolum faciendae & poliendae orationis imperitus erat, ſed Graece Latineque parum ſciret. Simplex eſt narratio rerum, nec habet in ſe quidquam admixtum, quod ad ſtupidum detinendum lectorem ſcriptum videri poſſit, qua re ſane non carent Vaticana Acta, quae propterea prudentioribus ſuſpecta fuere. Tantum igitur commendationis Bononienſia Acta apud Mazochium habuerunt,

ut haec ſola fide digna judicaverit, & in quibus caſtigandis, illuſtrandiſque operam non mediocrem collocarit. Sed aliter viſum eſt Jesuitae Stiltinghio, qui erat e Bollandiſtarum numero unus, vir ſane non illiteratus & obſcurus, ut nonnulli nimio in Mazochium ſtudio ducti affirmarunt. Cum hic igitur Vaticana Acta defendenda ſuſcepiſſet, ſtuduit non ſolum diminuere, ſed plane infringere auctoritatem Bononienſium, in horum defenſorem ſane inofficioſus, quem acerbe arguebat, quod non parum de ſanctiſſimi Martyris laudibus detraheret. Nihil hac re homini Neapolitano injurioſius, nihil ad conflandam ei invidiam populi impenſe, ne dicam aniliter, Martyri illi devoti magis idoneum. Itaque ſuae dignitatis minime eſſe putavit Mazochius Jeſuitae temeritatem inultam impunitamque plane relinquere. Quare anno MDCCLIX. in lucem hominum emiſit *Vindicias Actorum Bononienſium*, in quibus quidquid Stiltinghius arripuit ad reprehendendum, infirmatur atque diluitur, idque tanta argumentorum copia ac vi, tantoque ingenii acumine, & ſi vis etiam eloquentia, ut

affirmare non dubites ex adverſarii injuria ſibi glorioſam victoriam Mazochium peperiſſe. Illius vero inurbana dicta, quo facilius non ſolum ſorbere, ſed etiam concoquere poſſet, oculos a Stiltinghii ſcripto abſtinuit, uſus opera amicorum in noſcendis iis argumentis, quae ille ad cauſſae ſuae commodum trahebat. Quam moderationem cum nonnulli quaſi irati increparent, ipſe ajebat: *nihil ſibi difficilius quam irae motus compeſcere, ſeque oculis lacrymantibus ea cernere, quae aliquando in hujuſmodi pugnis iracunde rabioſeque exaravit*. Qua re non ſolum cum Aſſemannio, ſed etiam cum Ludovico Sabbatinio habitas concertationes innuebat. Satis de Aſſemannio diximus; reſtat ut de Sabbatinio pauca dicamus. Videbatur quidem Mazochius cupide elaborare, ut eſſet & haberetur in ſtudiis antiquitatis princeps, quare non facile ſibi contradici patiebatur, & vel ea interdum pervicacius defendebat, quae prudentiorum judicio vacillabant & claudicabant. Nonnulla hujuſmodi oppugnavit Sabbatinius, cum plura volumina de Calendario Neapolitano edidiſſet, quanquam nec Mazochium, nec

quemquam alium offenderet hominis moderatiſſimi oratio. Nihilo tamen minus aegerrime tulit Mazochius expoſita fuiſſe invidentium oculis quaedam a ſe minus fortaſſe vere prolata; additumque non parum huic aegritudini fuit, cum Sabbatinius, edita epiſtola ad Cardinalem Joachimum Beſuzium, allatam a Mazochio interpretationem cujuſdam inſcriptionis Chriſtianae per eos dies Romae in Coemeterio Pretextati inventae non confutaſſet modo, ſed pene irriſiſſet. Occaſionem diſputationi dederunt formula illa in *Fide conſtitutus*, quam ad Baptiſmum trahebat Mazochius, & ſiglae quaedam, quas numerum annorum & menſium idem exprimere contendebat, ſic ut ex illius ſententia *Ilarus Fide conſtitutus* vixerit annos ante Baptiſmum LI. poſt Baptismum vero menses XXV. Contra haec protulit multa Sabbatinius non tam ut opponeret Mazochio, quam ut probaret Ilarum *fide conſtitutum*, id eſt Chriſmate confirmatum annos *plus minus*, quod ſigla ſane exprimebatur, quinque ſupra viginti vixiſſe. Gravia haec accidere Mazochio; & qui moderatius reſponderi Sabbatinio volebant, diffici-

lem quamdam temperantiam ab homine iracundo poſtulabant. Editus igitur eſt liber an. MDCCXLV. cum hoc titulo: *In cauſa Hilari Fide conſtituti Actorum recenſio*, quem librum ſub Philippi Mazochii fratris filii nomine, credo, ut liberius in adverſarium invaderet Alexius, apparere voluit. Talis is eſt quidem, ut quiquid oppugnat ruere videatur, commendetque ſe ſe plurimum rerum varietate & copia. Si quis vero exiſtimabit in explorandis rebus a Sabbatinio prolatis, non tam veritati quam iracundiae ſervire voluiſſe Mazochium, ſciat ipſum poſtea poenitendo emendaſſe errorem ſuum, ut virtutem ex ipſo errore ipſe effeciſſe videatur. Cum vero ſe corroboraviſſet, ea de Sabbatinio loquebatur, quae ſatis declarabant magnam ſibi de homine non tam doctrina & moribus, quam honoribus ampliſſimo opinionem eſſe; & quotquot exemplaria invenire poterat libri, quem ſupra commemoravimus, quovis pretio comparabat, ut in ignem conjiceret. Miror Jo. Lamium ſaepe in Mazochio pugnacem & quaſi bellatorium ſtilum reprehendiſſe, quaſi ipſe neminem mordacio-

re dente adpetere ſoleret, & a ſe exemplum moderationis peti debuiſſet. Sed neſcio quomodo in aliis facile reprehendimus vitia, quae in nobis minime videmus. Praeter quam quod nunquam Lamius effugit invidiae ſuſpicionem, cum judicia de ſcriptis Mazochii faceret. Merito etiam ſe ridere poſſe putavit illas etymologias, quas in explicandis originibus multarum Etruſcarum urbium ab Hebraica lingua Mazochius derivare ſolebat. Scripſerat hic rogatu Caeleſtini Gallianii diſſertationes quaſdam *de Tyrrhenorum origine*, & quod ei erat multis de cauſſis perſuaſum populos hoſce ab Oriente in Etruriam primum conceſſiſſe, ad confirmandam ſententiam ſuam plurimum momenti afferre putavit argumenta illa, quae ex Etruſcae linguae vocabulis trahebat, quae omnia, atque illa praeſertim, quae *propria* Grammatici vocant, Orientem redolere dicebat. Sed magnificus ille Hebraicae, Caldaeae ac Syriacae linguae apparatus, quem protulit Mazochius, non probabatur Lamio, qui ſe intelligere ac ſapere plus quam ceteros in hujuſmodi aliiſque rebus multis arbitrabatur. Verum nihil

tam facile quam reperire argumenta, probabilitateſque quaſdam in exponendis etymologiis, de quibus plerumque homines ſuo quodam ſenſu conjecturaque judicant. Sententiae quidem Mazochii ſi non ſemper ſunt verae, ſunt quidem acutae; & cum inquirit de ſtatu totius Etruriae, aliarumque provinciarum, quae cum Etruria communem originem habere videntur, nova quidem multa a ſe feliciter excogitata in lucem profert. Ne putes vero unum opus totum atque perfectum abſolviſſe Mazochium *de Tyrrhenorum origine*. Addidit Diſſertationi cuidam, quam ad Academiam Cortonenſem primum miſit, plures diatribas, quas magis adverſaria, quam diſſertationes dixeris, & quaedam etiam hujuſmodi inſeruit in Jo. Voſſii Etymologicon Latinae linguae, cum illud an. MDCCLXII. Neapoli recuſum eſt. Haec omnia ſimul juncta invenies in II. opuſculorum Mazochii volumine, & ſi his plane contentus non eris, ſcias Mazochio ipſi in animo fuiſſe iiſdem de rebus ornatius & uberius ſcribere; & multa ſane hujuſmodi in ejus ſcriniis inventa fuere. Sed qui haec

tractant vere mihi videntur in Tyrrheno mari navigare ſcopuloſo atque infeſto, in quo etiam ipſe Ulyſſes erraſſe dicitur. Quoniam mentionem fecimus opuſculorum Mazochii, non ab re erit hoc loco de iis etiam pauca dicere, ne quid praetermiſiſſe videamur ad declarandam illius eruditionem atque doctrinam. Iis voluminibus binae orationes (*) incluſae ſunt, dedicationes, epiſtolae ad familiares plures, inſcriptiones bene multae, carmina, & haec omnia Latine ſcripta, cum non niſi Latii ſermone illi mos eſſet uti, quando eruditum quidpiam aggrediebatur. Si veterem urbanitatem requiris & elegantiam illam, quae facit, ut unumquodque pure, aperte & venuſte dici videatur, & quae continuo quodam colore & ſucco delectat, meo judicio minime adibis Mazochii ſcripta. Orationes illius non ſunt indiſertae, quam-

(*) Altera eſt in funere Nicolai Card. Caraccioli Campanorum Archiepiſcopi; altera in funere Clem. XII. Pont. Maximi; ſed illa prior tum eloquentia, tum elegantia praeſtat, & magno argumento eſſe poteſt, Mazochio ingenium ad eloquentiam excolendam minime ſane defuiſſe.

vis opimum quoddam & tanquam adipatae locutionis genus iis deſit, idemque dixeris de epiſtolis quibuſdam ad Carolum Regem, quas oratorio quodam genere perſcripſit. Multi me deſipere ac delirare affirmabunt, cum haec de tanto viro, cui innumeri pene Latini ſermonis elegantiam conceſſere, & qui hac ipſa laude floruit apud ſuos, affirmare audeam. Sed ego ex ſenſu meo judico, quem aperire minime dubitavi, quod in eo neque invidia inſit neque aemulatio. Quod ad carmina vero attinet, quamvis in ipſa pene fuerit natus Mazochius Latinarum Muſarum ſchola, & laude haud mediocri adoleſcens multorum honori & meritis verſus dedicaverit, vereor tamen, ut in iis aliquid poſteri habeant, quo ſe oblectent, dignumque poetam judicent habitare in jugo,

In quo tonanti Sancta Mnemoſyne Jovi
Foecunda novies Artium peperit chorum.

Plura alia ornabunt hanc collectionem opuſculorum Mazochii, ob quae ſolemnis ei debetur gloria, quemadmodum non mediocris

Digitized by Google

habenda eſt gratia viro perurbano & eruditiſſimo Cajetano Miliorio qui in iis colligendis edendiſque elaborat. Mazochius quidem ipſe plurimi facere videbatur, quae de Hebraeorum poeſi aliiſque rebus ad antiquitates Judaicas pertinentibus adnotaverat. Nam quamvis hujuſmodi multa ſparſiſſet in Spicilegia biblica, intelligebat tamen ea longiorem requirere orationem, & ſeparatim eſſe tractanda. Neque nunc indicare ſingula, quae ipſe reliquit, mens eſt mihi; verum ipſam vitam & mores hominis oſtendere, qui non minus virtutibus, quam ingenio aeternam famam eſt conſecutus. Quam eſſet laboris patiens, quam omnibus aliis oblectamentis dulces vigilias praeponeret, ex iis quae ſcripſit conjici poteſt. Quoties illum lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit, cum coepiſſet mane! Quam delectabatur cum opificum antelucanam vincebat induſtriam! Hoc enim remedio ajebat ſe delinire vitae dolores, & levare etiam incommoda valetudinis, quibus ſaepe afficiebatur. Nam adoleſcens ſtomachi cruditate laboravit; ſanguinem etiam evomuit, capitis languores

frequentes patiebatur, & in ſenectute igne ſacro medium corpus ambiente afflictus eſt. Quatuor ſupra ſeptuaginta annos natus triduano ac moleſtiſſimo ſingultu pulſatus in vitae diſcrimen venit. Atque ejus extrema aetas in hoc infelicior, quod non ſolum rerum memoriam ipſe amiſit, ſed etiam quod non ſatis mentis compos videbatur, idque miſerabilius erat in homine, qui recta ſemper ſecutus erat, qui gaudebat officio, cui vivendi via conſiderata ac proviſa fuerat, quique honeſta ac religioſa ſemper amavit, ad quorum cognitionem & uſum jam corroboratus, natura ipſa praeeunte, deducebatur. Nec res ulla erat, quae plus apud eum polleret quam culpae metus & peccati nomen. Itaque ii, qui aderant deliro, ſaepe joci cauſſa religionem objiciebant, ni ſuccenſos carbones pro cibo ſumeret; feciſſetque non gravate, niſi ab iis ipſis, qui juſſerant, prohiberetur: adeo perpetua illa Deo parendi conſuetudo & voluntas, ubi animis inolevit, ne ſomniantes quidem deſerit. Redibat ad ſe ſe interdum, idque indicabant dicta ab eo ſapienter. Cum ſtulte a quodam beatus

ex eo

ex eo praedicaretur, quod ei, lectulo in bibliotheca ſtrato, mediis libris indormire liceret: *Atqui beatus ille eſt*, reſpondit, *qui libris advigilat, non qui indormit:* & cum aliquando in ſcribendo tremor manus occupaſſet, eas reſpiciens; *eja quieſcite jam*, dixit, *ſatis adlaboraſtis*. In hoc miſerabili ſtatu; quem ſordes hominis vel recuſantis lectum ſibi ſterni, barbam radi, atque corpus lavari, miſerabiliorem reddere videbantur, perſtitit ad annum uſque MDCCLXXI. ſatis tamen robuſto corpore, vividiſque ad videndum audiendumque ſenſibus. Indicia proximae mortis fuerunt ciborum faſtidium, & crurum, quae praeter morem intumuerant, exſiccatio. Poſtremo gangraena apparuit, quae eum biduo vita privavit. Aegro & morienti adſuerunt Nicolaus Ignarra & Philippus Mazochius, quos cum lacrimantes conſpexiſſet, *ne mea cauſſa*, dixit, *trepidetis, qui me Deus condidit, is mihi abeunti proſpiciet*. Iis etiam mandavit ut in Eccleſiae commentariis haec tantummodo ſcribi curarent: *Alexius Symmacus Mazochius obiit*. Vel hoc extremo tempore a pluteo, ubi adſidere ſolebat, nun-

quam diſceſſit. Vidiſſes haud ſecus quam venerabundus hominem tranquillo & quieto animo vitae finem opperiri, & ita caelum reſpicere, ut corpore laxatus eo tanquam e carcere poſſet evolare. Magnum enim ei afferebat ſolatium ſeveriſſime exacta aetas, & non ſolum a cupiditatibus, ſed etiam ab iis rebus, quas homines honeſti facile ſibi concedunt, remotiſſima. Ne alacritate futili geſtiens deliqueſceret pene iratus eſt Cardinali Quirinio, quem de ſe in Cardinalium collegium cooptando ſermonem aliquando cum Benedicto XIV. habuiſſe comperit. Ex eo tempore ullius rei cum illo commercium habere recusavit, quod vehementer doluit Cardinalis, qui ſemper aliquid extorquebat a Mazochio, cui rei indicio eſſe poſſunt *Schediaſma de antiquis Corcyrae nominibus*; *& Diatribae de diptycho Quiriniano ac Brixiano, deque Gracco Prophetarum codice Chiſiano*. Nemo vero poterat ſuſpicari cum Mazochius aut dignitates divitiaſque contemneret, aut ingenii famam abjiceret, aut recuſaret declarationes honoris, voluiſſe ſe aliqua ſimulatione hominum exiſtimationi ma-

gis magiſque venditare, etenim nihil in eo unquam fucatum, fallax, & eruditum artificio ſimulationis apparuit. Nihil ei carius erat quam deliteſcere, nihilque moleſtius, quam a quoquam domi non alia niſi ſui videndi cauſſa ſe adiri. At homo verecundus & parcus in aſſumendis ſibi laudibus, commendator erat effuſus alienae virtutis; & cum ejus religio, auctoritas, laudatio magni momenti apud animos potentiorum eſſet, multis ſane prodeſſe potuit. Laudavit ſaepe Spinellius conſilium Mazochii in ſapientiſſimis viris ad Sacerdotia deligendis. Nemo vero ex iis, quae de Aſſemannio, Stiltinghio & Sabbatinio diximus, ſuſpicabitur Mazochium aliorum injurias ferre minime potuiſſe. Quamvis extiterint qui non ſolum ingrate ſed pene impie in eum debaccharentur, non ſolum rei indignitate minime commovebatur, ſed ſatagebat juveniliter, ut ipſe ajebat, exultantes patientia omnino ſingulari mollire, & ad mentem revocare. Et perfecto is ſapiens & haberi & dici debet, qui tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus, & iis prae-

ſertim, quae religione continentur, ut moenibus ſeptus neque vinci neque expugnari poteſt. Perſuaſum erat Mazochio multo magis eſſe ſecundum naturam celſitatem animi & magnitudinem, itemque modeſtiam, comitatem, juſtitiam, liberalitatem, quam voluptatem, ambitionem, atque divitias; itaque quoties aut amici, aut civis officio fungebatur, naturae ſe obedire, & communi hominum utilitati ſe conſulere exiſtimabat. Hinc interdum inveniſſes eum vel in demiſſiſſimis occupatum muneribus, praeſertim quando conſociabatur cum iis, qui in Eccleſiae caſtris militabant de communibus locuturus officiis. Nunquam deflexit, quamvis decrepitus, a priſtina conſuetudine quotidie per plures horas preces ad Deum fundendi; & certe nemo illo diligentior fuit in obeundis omnibus religioſi hominis officiis. Severe de ſe ſuiſque actionibus judicabat, & quamvis ne momentum quidem temporis homo induſtria omnino ſingulari perire ſineret, & nunquam fere avocaret animum a ſtudio, ſaepe tamen faſſus eſt ſe nihil ſcire, & in nihil agendo ſe totum eſſe occupatum. Inter-

dum ejus humanitas deſiderari viſa eſt in reprehendendis vitiis, linguae aut mentis erroribus, ſed cum in ſenectute illa pars animi, in qua irarum exiſtit ardor, non parum ſedata atque reſtincta fuiſſet, naturali gravitati ſeveritatique comitatem, facilitatemque aſpergebat, ſic ut ejus admonitiones ſine acerbitate eſſent. Atque ipſe cum conſiderabat, quae eſſet hominis excellentia & dignitas, intelligebat quam ſit turpe non modo diffluere luxuria, ſed & molliter & delicate vivere, quamque conveniens & honeſtum parce, continenter, graviter, ſobrie: cui ſobrietati ſe praeſertim acceptum referre dicebat, quod ad ſummam perveniſſet ſenectutem. Quantum vero commodis ſuis detrahebat, tantum caritati in pauperes addebat, quibus quidquid ipſe induſtria ſua acquiſierat, vel bibliothecam, non tamen multorum nummorum, teſtamento reliquit. Quamvis taciturnitate delectaretur, neque in familiari ſermone eloquens, ornatus & ſuavis eſſet, ut verba magis in calamo quam in ore ſe habere diceret, interdum tamen hilarulus & ad jocum factus videbatur; ſe-

runturque adhuc quaedam ab eo belle & feſtive dicta. Ceterum illud Spinthari Tarentini de Epaminonda in ipſum quadrare multi affirmarunt; *ſe noviſſe neminem qui plura ſciret, ac pauciora loqueretur*. Habebat animi cauſſa rus amoenum ac ſuburbanum, quo dormitum praeſertim ab aeſtate media ad autumni initia concedebat ; & cum ibi ſoleret aut pullos paſcere aut olera caedere, imitari ſibi videbatur Laelium & Scipionem, qui cum ruſticarentur ad Cajetam & ad Laurentum, conchas & umbilicos legere conſueverant, & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere. Omnino mihi liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit. Ordo, conſtantia ac moderatio, quae in homine apparebant, & illa gravitas ſine arrogantia, verecundia ſine ſegnitie erant invitamenta ad illum colendum obſervandumque, extiteruntque ingenii & doctrinae laude florentes adoleſcentes, qui ſe beatos putarunt, quod familiariſſime cum eo verſari, ejuſque domeſticis rebus intereſſe potuerint. Sed diligentiſſimi omnium in colendo Mazochio fuerunt Jacobus Fontana, Carmi-

nus Scatula & Nicolaus Ignarra, qui etiam nulla non mortuo praeſtitit officia. Nam praeter editum commentarium de illius vita multum laboris conſumpſit in colligendis ordinandiſque chartae fruſtis (neque enim alius mos erat Mazochio in conficiendis libris, quam plures hujuſmodi plagulas a ſe antea exaratas conglutinare) ex quibus conſtat III. volumen Spicilegii Biblici, quod an. MDCCLXXVIII. Neapoli vulgatum eſt. Qui vero accedebant ad eum non poterant non magnopere commoveri, cum cogitarent hominem, cui nemo par ingenio fuerat, non modo a memoria, ſed pene a ratione deſertum fuiſſe. Sed in hoc etiam ſtatu interdum vis quaedam virtuſque divina, ut ſupra commemoravimus, apparebat. Quam civitati univerſae carus eſſet moerore funeris indicatum eſt. Elatus publice ad S. Reſtitutae ſepulcri monumento donatus eſt, in quo poſita ejus effigies cum hoc titulo.

ALEXIO SYM. MAZOCHIO
ECCLESIAE NEAP. CANONICO
R. S. SCRIPTURAE INTERPRETI
QUI PHILOLOGORUM SUI AEVI PRINCIPIS

OPINIONEM IN QUAM VEL
APUD EXTERAS NATIONES QUAMPLURIMIS
SCRIPTIS VOLUMINIBUS MULTIPLICI
ERUDITIONE PRAESTANTIBUS
MERITO FUERIT ADDUCTUS INTEGERRI-
MAE VITAE ET EXIMIAE PIETATIS
LAUDE CUMULAVIT.
VIXIT AN. LXXXVI. M. X. D. XXII.
OBIIT PRID. ID. SEPT. A. MDCCLXXI.
OPTIMO PATRUO
DE SE OPTIME MERITO
PHILIPPUS M. C. V. IUDEX P.
CANONICI LOCUM COLLEGAE B. M.
DEDERUNT

Marmoream Mazochii effigiem ſcalpſit Joſephus Sammartinius, cujus magnum nomen extat apud Neapolitanos. At quam ille ad vivum fabrili ſcalpro, eamdem oratione Ignarra expreſſit. *Staturae juſtae fuit appoſitae ad dignitatem, quanquam ob nimis maturatam humerorum incurvationem nonnihil imminutae. Itaque praeſagium illud, quod Plinius ex Ariſtotele retulit*, longae eſſe vitae incurvos humeris *in longaevo Mazochio confirmatum eſt. Capitis non exigua moles ac rotunditas; la-*

tiſſima frons plurimis rugis aeque ac facies aſperata; ſupercilium laevum altero elatius, & labium inferius non nihil pendulum evidenter eum a ceteris perſpicueque diſtinguebant. Color, quamdiu ipſe ſub labore gemuit, pallidus, at cum vitio mentis ceſſavit, ſanior atque etiam rubicundus. Latum pectus ac reſpirandi viae faciles liberrimaeque, ut citra anxietatem loqueretur, etiam dum ſcandere feſtinaſset. Brachia toroſa; ac manus adeo craſsae, ut pugilem aptius decerent. Ceterum tota oris ſpecies, habitus, inceſsus, veſtimenta denique ipſa ad tantam erant compoſita dignitatem, ut externo etiam apparatu tueretur opinionem eam, quam apud omnes de virtute ſua ac priſca ſeveritate merito concitarat.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

In Mutilum Campani Amphitheatri titulum aliaſque nonnullas Campanas Inſcriptiones Commentarius. Neap. 1727. *in* 4. Recudit *Polenus Tom. V. Supplem. ad Grew. & Gron.* Mazochius hunc commentarium poſtea plurimum auxit, & extant manuſcripta ejus additamenta.

De Publicis & Publiciis. Vid. Tom. V. Callogerianorum opuſculorum. Venet. an. 1731. p. 161.

Ad amplissimum virum Bernardum Tanuccium Regis noſtri a ſecretis Epiſtola de dedicatione ſub aſcia. Neap. 1739. *in* 8.

Oratio in funere Nicolai Caraccioli Campanorum Archiepiſcopi. Neap. 1728.

------ *Clementis XII. Neap.* 1740. Extant etiam binae hae orationes inter opuſcula.

Diſſertazione ſopra l' origine de' Tirreni. Romae apud Palearinios Tom. III. Diſſertationum Cortonenſium.

Franciſci Mariae Muſcettolae Archiepiſcopi Roſſanenſis *Diſſertatio Theologico-Legalis de ſponſalibus & matrimoniis, quae a filiisfamilias contrahuntur, parentibus inſciis, vel juſte invitis. Neap. 1742. in 8. Iterum Neap. 1762. in 8. ac demum Romae 1766. in 4. cum nova appendice Deciſionum* S. R. Rotae.

De antiquis Corcyrae nominibus Schediasma. Neap. 1742. in 4.

In vetus marmoreum Sanctae Neapolitanae Eccleſiae Calendarium commentarius Neap. Tom. III. 1744. in 4.

In Cauſa Hilari Fide conſtituti actorum recentio. Neap. 1745. in 4.

Digitized by Google

De Diptycho Quiriniano & Brixiano Epiſtola, De Graeco Prophetarum Codice Chiſiano Diatriba: De librorum bipatentium & convolutorum antiquitate Diatriba. Neap. in 4. Extant etiam in Calogerianis Tom. XXXIV. & XXXVII.

Diſſertatio hiſtorica de Cathedralis Eccleſiae Neapolitanae ſemper unicae variis diverſo tempore vicibus. Neap. 1751. *in* 4.

De Sanctorum Neapolitanae Eccleſiae Epiſcoporum cultu Neap. Tom. II. 1752. in 4.

Graecae Inſcriptionis in poculi Pſeudoſocratici extremo labro exaratae explicatio: Epiſtola ad Felicem Sabatellum Neap. 1752. *in* 4. Extat etiam in opuſculis.

De Mutilae Expugnationis hiſtoria ad Jacobum Caſtellum. Neap. 1753. *in* 8. Extat etiam inter Epiſtolas.

Commentarium in Regii Herculanenſis muſei aeneas Tabulas Heraclienſes Pars. I. & II. Neap. 1754. *in fol.*

Actorum Bononienſium S. Ianuarii & Sanctorum martyrum vindiciae repetitae Neap. 1759. *in* 4.

Spicilegium Biblicum Tom. III. Duo priora volumina edita Neap. 1763. in 4. pertinent ad vetus Teſtamentum, poſtremum editum an. 1778. ad novum.

Jo. Gerardi Voſſii etymologicum linguae latinae cum etymologiis Mazochii ex Oriente petitis Neap. 1762. *Tom. II. in fol.*

Opuſcula, quibus orationes, dedicationes, epiſtolae, inſcriptiones, carmina, ac diatribae continentur. Tom. II. Horum voluminum alterum editum eſt Neap. 1771. alterum 1775. in 4. Haec volumina alia ſubſequentur.

Digitized by Google

OPERA INEDITA.

Praelectiones Biblicae.

De Ἀοινίᾳ *Patriarchali, vinique rudimentis.* In Tab. Haracl. p. 235. nominat hanc diſſertationem *de Noachica vini inventione.*

De Poeſi Hebraeorum.

Commentarius in Pſalm. CIII.

Diſſertazione ſul vaticinio di Giacobbe.

Rei Tabernaculariae libri duo.

Commentarius in Evangelicam Harmoniam a Chriſti ortu uſque ad ejuſdem miniſtrantis Initia.

Petri Subdiaconi de Agnelli miraculis commentarius cum Mazochii notis.

Diſſertazione ſulla Iſcrizione de SS. Maſſimo e Fortunato.

Conſilium de cultu SS. Neapolitanae Eccleſiae Antiſtitum.

De Capuae reique Campanae originibus.

Camilli Peregrinii Campania Felix cum notis Alexii Symmachi Mazochii. Confidimus haec propediem editum iri a Joanne Gravierio.

Ad muſivum Apſidis Campanae.

Inſcriptiones Campanae.

In Oſca ſeu Etruſco-Campana quaedam monumenta Diſſertatio.

De Tyrrhenicis originibus varia praeter edita.

De veteris Herculanei originibus.

Syntagma veterum inſcriptionum.

Ad Inſcriptionem Voconiae Saeverae apud Granitos in ora Leucoſiae commentarius.

Diatriba ad tabulas Ignuvinas.

Latinarum vocum ex veteribus Lapidibus auctarium.

De Jove Fiazzo diſſertatio.

De Leucoſia Inſula hodie Licoſa.

De Juvenum varia in lapidibus & Auctoribus notione.

De Actia Nicopoli.

De Exactoribus operum publicorum.

De Auguſtalibus.

De Voce Lanterna.

De nativa doli & doli mali notione.

De voce Italus.

Miſcellaneorum Sylva [illegible] *arum in aliquos Scriptores Spicilegia.*

Obſervationes ad Livium, Polybium, Ciceronem, Hiſtoriae Auguſtae Scriptores, Gruterum, Sponium & alia hujuſmodi.

Incertum eſt num de notis NAT. PAS. DEP. diſſertationem ſcripſerit, quod ſe facturum promiſerat.

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN VIII. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Academiae Piſanae hiſtoria 124. 244.
Albizius Franciſcus 126.
Agneſia Cajetana 141. 166.
Alexander Natalis reprehenſus 58.
Algebrae origo & progreſſus 138.
Almelovenius 121.
Antoniolius Carolus 68. 11…
Apes earum ortus & mores …
Arſacidarum epocha 110…
Aureliani hiſtoria illuſtrata 118.
Auſonii conſulatus 126.
Averanius Benedictus de ejus eloquentia judicium 7. 20. vita 8 & ſeq. carmina 11. 12. 23. diſſertationes variae 15. almageſtum interpretatur 17. ejus munera in Academia Piſana 18. mores 23. & ſeq. mors 28. opera 32.

B

Baillius 298.
Benedictus XIV. 60. 63. 115. 388.
Bernoullius Jo. 195. 208. 234.
Blanchinius 306. 308.
Bonaventurius Thomas 229.
Bottarius Jo. 1. 19. 229.
Brenchmannus Henricus 247. 251.

C

Calendarii Gregoriani emendatio 258. 306.
Capycius 339. 342.
Capua ejus amplitudo 340. ingrata Mazochio 345.
Caracciolus Nicolaus 337.
Caſſinius Jo. Dominicus 295. 308. & 310.
Cauſſae finales earum uſus in phyſica 179.
Ceva Thomas 201. 252.
Contelorius Felix 121.
Corſinius Eduardus ejus vita 76. ſtudia 77. opera philoſophica 79. Jeſuitarum odia ib. mathematica & hydroſtatica ſcripta 82. de Faſtis Atticis 86. & ſeq. horum cauſſa cum Lamio diſputationes 90. agoniſticas diſſertationes vulgat 93. Graecorum ſiglas interpretatur 97. munera in Academia Piſana 99. 107. Plutarcum illuſtrat 100. monumenta antiquitatis explicat 98. 103. 104. & ſeq. 107. 110. 113. 117. opera metaphyſica 109. orationes ib. 130. munera in Sodalitate ſua 112. de Praefectis urbanis ſcribit 120. morbi & mors 123. 127. mores 128. & ſeq. opera 131.

D

Danielus Franciſcus 321.
Dedicatio ſub aſcia 346.

Digitized by Google

Dionyſius Periegeta 59.
Dodwellus 90. 96.

E

E Loquentia quantum a natura adjuvetur 4. quam elocutionem requirit 36. ejus ſors & vices apud Graecos 70.
Euſtathii interpretatio 48. & ſeq. ejus commentaria in Dionyſium Periegetam 59.

F

F Abruccius 124.
Facciolatus Jacobus 349.
Faſti Attici illuſtrati 86. & ſeq.
Fixarum catalogus 300.
Fontana Jacobus 390.
Friſius Paolus 137.
Fromondus Clavius 256.
Froelichius 111.

G

G Alilaeus 123. 213. 219. 220. 232. 234.
Gorius Franciſcus 57. 102.
Grandius Guido ejus philoſophandi methodus 182. vita 186. prima ejus ſtudia 188. ſcripta 190. qua ratione in geometria proceſſerit 191. ejus opus de demonſtratione Vivianeorum problematum 193. in Piſana Academia doctor creatur 196. Hugeniana theoremata ſolvit 197. & ſeq. de quadratura circuli & hyperbolae ſcribit 204. de infinitis infinitorum ordinibus 209. cum Varignonio diſputat 210. cum Portio, Jordano, & Tambuccio 212. 214. cum Marchetto 218. cum Laderchio 244. cum Tanuccio 246. & ſeq. ejus opera hidroſtatica 224. de reſiſtentiis 32. de ſectionibus coni 235. alia geometrica 237. 254. de ſonis 241. de rebus Camaldulenſibus 189. 244. 246. de Pandectis Piſanis 247. de Calendario 258. dignitates ejus 259. mors 260. mores 262. opera 271.
Gravina Jo. Vincentius 20.
Gregorius Jacobus 201.
Gronovius Jacobus 18.
Gnadagnius Leopoldus 33.

H

H Arrachius Comes 343.
Hebraeorum poeſis 321. & ſeq
Heraclienſes tabulae explicatae 368.
Herculanenſes antiquitates 370.
Hermannus Jacobus 203.
Hiſtoria naturalis 305.
Hugenii theoremata demonſtrata 204. 299.

I

I Acſonius Georgius 48. 56.
Ianettaſius Nicolaus 334.
Ianuarii martyris acta vindicata 375.
Ieſuitae Academicis Piſanis infeſti 252.
Ignarra Nicolaus 373. 385. 391. 393.
Iordanus Vitalis cum Grandio diſputat 214.

K

K Eplerus 291. 298.

L

L Amius Jo. 56. ejus con-

certationes cum Corſinio 90. 162. 378.
Leibnitius ejus ſyſtema de cauſis finalibus 179. 193. 206. 208. 221. 234.
Ludi Graecorum explicati 93.

M

Maffaejus Scipio 97. 103. 106. 343.
Majellus Carolus 335.
Manfredius Gabriel 141. 156.
------ Euſthachius 203. 226. 228. 30 . 306.
Marinius Cajetanius 122.
Marchettus Alexander ejus diſputationes cum Grandio 218.
Maraldius Jo. Dominicus 293. 300.
---- Jacobus Philippus ejus vita 295. labores aſtronomici 297. & ſeq. hiſtoriam naturalem excolit 301. gnomonicam provehit 306. ejus itinera ib. mors & mores 30 . opera 312.
Martyrologium Romanum illuſtratum 60.
Mazinius 155. 162.
Mazochius Alexius Symmachus 330. ejus cura in provehendis ſtudiis 336. & ſeq. de Campano amphitheatro ſcribit 339. de Dedicationibus 341. ejus munera 344. opus de dedicatione ſub aſcia 346. biblica exornat 356. ejus opus de filiisfamilias, invito patre, nuptur ientibus 352. tabulas Heraclienſes explicat 369. antiquitates Herculanei 370. cum Stilringhio diſputat 375. cum Sabbatinio 376. de Tyrrhenorum origine differit 379. ejus opuſcula 381. mores 383. effigies 392. opera 394.
---- Philippus 378. 385.
Mediceus Leopoldus Card. 13. 17.
Menſii operum editio 56. 90.
Miliorius Cajetanus 383.
Montanarius 308.
Muſcettola ejus diſſertatio 352
Muratorius Ludovicus 251. 343. 348.

N

Apolius Jo. Baptiſta 344.
Narciſſus ejus ſyſtema fonorum 240.
Narducius Thomas 240. 256.
Newtonus ejus de Grandio elogia 203. 212. 234. 241. 297.
Noriſius Card. 16. 196. 307.

P

Andectarum codex quomodo ad Piſanos venerit 247.
Parthorum Regum hiſtoria 116.
Perellius Thomas 255.
Peregrinius Camillus 340.
Politus Alexander de ejus eloquentia judicium 35. 54. vita 41. ejus opus de philoſophia Peripatetica 44. de theologia 45. notae ad veteres ſcriptores 45. de patris in teſtamentis condendis poteſtate 46. Euſtathium interpretatur 48. ejus munera in Academia Piſana 52. ſcripta ad antiquitatem pertinentia 56. de martyrologio Romano 60. mores 62. opera 64. & ſeq.
Portius Lucas Antonius ejus

Digitized by Google

diſputationes cum Grandio 213.

Praefectorum Urbis ſeries 122.

Q

Quirinius Card 388.

R

Rampinellius Ramirus ejus vita 145. prima ſtudia in Architectura militari 149. in geometria 152. in analyſi 155. opera mathematica 261. hydroſtatica 169. mors & mores 172. & ſeq.

Robervallus 20

S. Romualdi vita 189. & 246.

S

Sabbatinius cum Mazochio diſputat 376.

Salvinius Antonius Maria 19.

Scarula 391.

Seraus Franciſcus 372.

Slopius Joſephus 292.

Spinellius Card. 337.

Stajus Benedictus 179.

Sulpiciae Dryantillae nummus explicatus 117.

T

Theonis interpretatio 17.

Trombellius Jo. Chryſoſtomus 127.

Turricenus Franciſcus 137.

Tyrrhenorum origo 379.

V

Wabullathi imperium & origo 117.

Varignonius cum Grandio diſputat 2.0. 221.

Verulamius Baco 183.

Vernaccinius Joſeph 255. 271

Veſuvius quare ſic dictus 372.

Vivianius Vincentius 17. 192. problematum illius demonſtrationes 193. 232.

Wolfius 221.

Z

Zenus Apoſtolus 246. 343.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE

pag. 7.	lin. 19.	peccavimus	peccaverimus
36.	24.	ſingulo quoque momento	ſingulis quibuſque momentis
45.	19.	Huſonius	Hudsonius
77.	20	Guidum	Guidonem
86.	24.	Epiſtatum	Epiſtatarum
94.	14.	Aelide	Elide
228.	9.	machinaio	machinatio
265.	23.	inciſit	incidit
337.	15.	nec preco	qui nec prece
345.	4.	ſtipem	ſtipitem

Rogandi ſunt Lectores, ut in ſuperiori Volumine corrigant p 182. *Parmenſis* loco *Mutinenſis* & p. 193 *quereris* loco *quereberis*, quae errata, ut & fortaſſe alia, diligentiam noſtram effugerunt.

VA1
1551210

Digitized by Google

Google

148.
7.
51.

Digitized by Google